[illegible]

DE

COSMOGRAPHIA ETHICI

LIBRI TRES.

SCRIPSIT

KAROLVS AVGVSTVS FRIDERICVS PERTZ
PHILOSOPHIAE DR.

ACCEDIT TABVLA.

BEROLINI
SVMPTIBVS FRIDERICI NICOLAI
MDCCCLIII.

PATRI CARISSIMO

GEORGIO HEINRICO PERTZ

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Dissertationem de Cosmographia Ethici, ante hos sex menses conscriptam, lectoribus tradituro mihi de consilio pauca disserenda sunt. Fortasse enim mirum videatur et inutile, quod post doctas Christiani Petersen et D'Avezacii de eodem libro commentationes tertius ego ad rem sane difficillimam accessi: quod certe non fecissem, ni vel horum virorum studiis non omnia absoluta esse perspexissem. Quum enim iam inde ab anno MDCCCL Cosmographiae libris manuscriptis undique congestis eorum praesidio tutissimo de Ethico quaestiones instituissem, mox de auctore ipso et de libris eius notionem suscepi ab iis sententiis maxime diversam, quas de iisdem rebus usque eo viri docti protulerant. Hanc igitur eo minus celandam mihi esse putavi, quo magis etiam nunc Christianum Petersen et D'Avezacium in omnibus fere discessisse intelligerem. Accedit, quod doctorum hominum etiam ii, qui in verba antecedentium scriptorum non iurantes suo iudicio Cosmographiam Ethici tractarunt, coniecturis magis quam fontibus ipsis innisi sunt; hos igitur ante omnia ape-

riendos esse credidi, ut post tot saecula certum aliquid de Ethico proferri tandem posset.

Quae res si forte aliqua ex parte mihi contigit, tamen vereor ne in crimen levitatis incidisse multis videar, quia gravissimis quaestionibus de auctore Cosmographiae ipso nondum solutis, partem operis foras emittendam esse putavi. Hoc autem ea ex causa factum est, quod codices manuscripti omnes qui librum Ethici exhibent scribarum negligentia tantopere deformati sunt, ut permulti loci nobis occurrant quibus sensus vix inesse videatur. Quare quamvis omnia hodie absolvi nullo modo possint, operae tamen pretium erit pro virili parte ad quaestiones difficillimas diiudicandum pauca attulisse: si forte, aditu ad libros manuscriptos patefacto, doctorum virorum industria melioris notae codices investigare possit.

In tali autem rerum conditione si a vero paullum aberrasse cuiquam videor, eo magis fortasse condonandum erit, quo minus saepenumero in Cosmographia Ethici non solum verborum sensus verum etiam nexus sententiarum expediti sunt.

Scribebam Berolini Kalendis Iuliis.

ARGVMENTVM.

LIBER PRIMVS.

DE COSMOGRAPHIA IVLII HONORII ORATORIS.

CAPVT I.

§. 1.

DE COSMOGRAPHIAE EDITIONIBVS.

AETHICO, sive Ethico, incerti temporis auctori, quinque vulgo libri assignantur: Cosmographia scilicet quae sub eius nomine vulgata est, Pauli Orosii Tripertita Mundi Descriptio, Excerpta Iulii Honorii Oratoris, Antonini Augusti quod vocatur Romani Orbis Itinerarium, denique „Liber Ethici Philosophi natione Scythae", quem e Graeco in Latinum transtulisse aiunt Sanctum Hieronymum.

Quorum primum quidem opus ad duorum tantum codicum manuscriptorum fidem saepius editum est; sunt enim editiones fere hae:

1. Aethici Cosmographia: Antonii Augusti Itinerarium Provinciarum: ex Bibliotheca P. Pithoei cum Scholiis Iosiae Simleri. Basileae 1575. 8°. min.

2. Dionysii Alex. et Pomponii Melae Situs Orbis Descriptio. Aethici Cosmographia. C. I. Solini Polyhistor. In Dionysii poëmatium Commentarii Eustathii: Interpretatio eiusdem poëmatii ad verbum, ab Henr. Stephano scripta: nec non Annotationes eius in idem, et quorundam aliorum. In Melam Annotationes Ioannis Olivarii: in Aethicum Scholia Iosiae Simleri: in Solinum Emendationes Martini Antonii Delrio. Excudebat Henricus Stephanus. Anno 1577. 4°.

3. Pomponii Melae de Situ Orbis libri tres. Ethici Cosmographia. Henrici Glareani compendiaria descriptio orbis terrarum. Parisiis. I. Libert 1619. 32°. (Inest

Aethicus pag. 145—208. cfr. Mém. de l'Acad. des Inscr. et Belles-Lettres, prem. série, tom. 2. Paris 1852. 4°. pag. 290, not. 3.)

4. Eiusdem libri secunda editio prodiit a. 1625.

5. Pomp. Melae de Situ Orbis libri tres. Ethici Cosmographia. Henrici Glareani compendiaria descr. orbis terrarum. Parisiis ap. Seb. Cramoisy. 1626. 32°. (Inest Aethicus pag. 145—208.)

6. Quarta eiusdem libri editio anno 1635 edita est.

7. Pomponius Mela de Situ Orbis, C. Iulii Solini Polyhistor, Aethici Cosmographia, cum notis variorum. Lugd. Batav. apud Hieronymum de Vogel. 1646. 12°.

8. Pomponii Melae libri tres de Situ Orbis. Iulii Honorii Oratoris Excerptum Cosmographiae nunc primum ex MS. editum. Cosmographia quae falso hactenus Aethicum auctorem praetulit, variis lectionibus ex MS. illustrata. Omnia diligentissime recognita, additis ad Melam notis. Lugd. Batav. apud Iordanum Luchtmans. 1684. 8°. (Inest Aethicus pag. 23—74.)

9. Idem liber repetitus est anno 1685. 8°.

10. Pomponii Melae libri tres de Situ Orbis, nummis antiquis et notis illustrati ab Iacobo Gronovio. Iulii Honorii Oratoris Excerpta Cosmographiae ab eodem nunc primum ex MS. edita. Cosmographia falso Aethicum auctorem praferens, cum variis lectionibus e MS. Ravennas Geographus ex MS. Lugdunensi suppletus. Lugd. Batav. apud Iordanum Luchtmans. 1696. 8°. (Aethic. p. 23—67.)

11. Pomp. Melae de Situ Orbis libri III. cum notis integris Hermolai Barbari, Petri Ioannis Olivarii, Fredenandi Nonii Pintiani, Petri Ciacconii, Andreae Schotti, Isaci Vossii, et Iacobi Gronovii. Accedunt Iulii Honorii Oratoris Excerpta Cosmographiae. Cosmographia falso Aethicum auctorem praeferens cum variis lectionibus ex MS. Ravennatis Anonymi Geographia ex MS. Leidensi suppleta. Curante Abrahamo Gronovio. Lugd. Batav. ex Officina Samuelis Luchtmans. 1722. 8°. (Aethicus pag. 703—733.)

12. Cosmographie d'Éthicus traduite pour la première fois en Français par M. L. Baudet. Paris C. L. F. Panckoucke Éditeur. 1843. 8°.

Iulii Honorii Oratoris Excerpta Lugduni Batavorum a Gronoviis edita sunt cum Pomp. Mela, Aethico cet. annis 1684. 1685. 1696. 1722.

Orosii Tripertita Descriptio Mundi inde a prima Ios. Simleri editione Cosmographiae Aethici sub hoc titulo adiecta est: „Alia totius Orbis Descriptio". Exstat autem in omnibus P. Orosii historiarum editionibus in libri primi secundo capite.

Antonini Itinerarium saepius antea editum, ad librorum manuscriptorum fidem paucos ante annos ediderunt VV. Cll. Gustavus Parthey et Mauritius Pinder [1]).

Denique Ethici Philosophi, quem ferunt, Cosmographiam, postquam per quatuordecim fere saecula latuit D'Avezacii curis nuper promulgatam, non sine fructu inspeximus [2]).

§. 2.

AVCTORVM QVI DE AETHICO SCRIPSERVNT ENVMERATIO.

His igitur subsidiis instructi noctem illam atque tenebras, quae hucusque quasi Aethico offusae erant, pro virili parte pellere conati sumus, si forte nobis id succederet perficere, quod inde ab anno 1575 et temporibus Iosiae Simler nequidquam multi susceperunt. Est enim res ad iudicandum sane difficillima, quum de auctore ipso et de libris eius quos conscripserit tam variae ac diversae homi-

1) Itinerarium Antonini Augusti et Hierosolymitanum ex libris manu scriptis ediderunt G. Parthey et M. Pinder. Berolini Impensis Friderici Nicolai. 1848. 8°.

2) Mém. de l'Acad. des Inscriptions et Belles-Lettres. Première Série, tome II. Paris 1852. 4°. pag. 455—551.

num sententiae ortae sint, ut de Aethico quod certum sit constare nihil videatur.

Cuius rei si exemplum afferendum est, ambigitur etiam nunc apud viros doctos cui potissimum auctori et quo tempore florenti libri illi assignandi sint. Quare extiterunt qui Cosmographiam addicerent Istro Callimachio, C. Iulio Caesari, Marco Antonio, Octaviano Augusto, Marco Agrippae, Antonino Pio Imperatori, Antonino Caracallae, Iulio Titiano [3]) Maximini Caesaris magistro, Ammiano Marcellino [4]), Iulio Honorio, Aethico, Paulo Orosio historiarum scriptori, grammatico Prisciano, Antonino Aethico [5]), Marciano Heracleotae [6]), denique Mariano Scoto [7]) saeculi undecimi ordinis Benedictinorum monacho († 1088.) [8]).

Neque minus in diversa abierunt viri docti, si ad ipsa opuscula accedimus. Nam libros illos omnes Aethico ascribunt alii, ut D'Avezacius, contra alii nonnisi Cosmographiam [9]) quae sub eius nomine vulgata est. Quin etiam eiusmodi ingenia extiterunt, qui aut priorem [10]) laudati libri, aut posteriorem [11]) tantum partem ad hunc auctorem reducendam esse dicerent. Denique et Iulii Honorii Oratoris

---

3) Gerhard Schöning in „Historische Abhandlungen der Königl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Kopenhagen". tom. IV, p. 238—242. et tom. V, p. 158—180.

4) Cluver, Germania antiqua p. 354.

5) Casp. Barthii Adversariorum Commentariorum libri LX. Francof. 1624. fol. tom. I, p. 2085—2088.

6) Hadriani Iunii Hornani medici, Batavia. Lugd. Bat. 1588. 4°. pag. 263. et Gabriel Naudaeus in Bibliographia politica et arcana status, cum notis .... auctore M. Gladovio. Cura Lupi Fecialis. Lips. 1712. §. 30. pag. 73.

7) Fabricii Biblioth. Latina ed. Ernesti, Lips. 1773. tom. I, p. 271.

8) Fabricii Biblioth. mediae et infim. Latinitatis ed. Ioh. Dominic. Mansi. tom. V, Patavii 1754. 4°. p. 28. col. I.

9) Wesseling, Vetera Romanorum Itineraria etc. Praefat. et alii.

10) Ritschl „die Vermessung des Röm. Reiches unter Augustus und die Weltkarte des Agrippa" etc. in Museo Rhenano 1842. p. 481—523.

11) Conrad Mannert, Tabula Peutingeriana etc. Lips. 1824. Praefatio pag. VIII.

Excerpta nec non Antonini Itinerarium cum Cosmographia modo coniunguntur, modo ab ea separantur atque distinguuntur.

Eorum autem qui de Aethico eiusque scriptis sive fusius sive paucis verbis disputarunt, nec non qui locos Cosmographiae exscripserunt, cum titulis librorum nomina apposui.

Itaque veterum auctorum Cosmographiam laudant: Magnus Aurelius Cassiodorus [12]), Sanctus Isidorus Hispalensis [13]), Dicuilus [14]), auctor Chronicorum Ovetensium [15]), Chronica inedita Gothorum [16]), Glossae codicis Lugdunensis [17]) ad legem Romanam Wisigothorum, Flodoardus [18]),

---

12) M. Aurelii Cassiodori Opera, studio I. Garetii. Rotomagi 1679. 2 Voll. fol. tom. II. „De Institutione Divinarum Litterarum liber". cap. 25. „Cosmographia a Monachis legenda". pag. 553. A.

13) S. Isidori Hispalensis Episcopi Opera edidit Faustinus Arevali Vol. I—VII. Romae 1797 sqq. 4°. ubi vide Etymologiarum
librum XIII, Cap. 21, §. 7. (Tom. IV, pag. 133.)
„ XIV, „ 2, §. 1. (Tom. IV, pag. 142.)
„ „ , „ 3, §. 5. 8. 13. 17. 27. 37. 38.
„ „ , „ 4, §. 2. 3. 5. 6. 8. 13. 14. 18. 27.
„ „ , „ 5, §. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 12.
„ „ , „ 6, §. 2. 14. 20.

14) Recherches Géographiques et critiques sur le livre De Mensura Orbis terrae, composé en Irlande, au commencement du neuvième Siècle, par Dicuil; suivi du texte restitué par A. Letronne. Paris 1814. 8°. ubi vide
Cap. VI, §. 3. nro. 9. 10. (pag. 26.)
„ „ §. 9. „ 1—17. (p. 33—35.)
„ VII, §. 1. „ 5. (p. 36.)
„ „ §. 6. „ 1. (p. 43.)
„ VIII, §. 1. „ 2. (p. 55. 56.)
„ „ §. 4. „ 5. (p. 61.)
„ „ §. 7. „ 1. (p. 64.)
„ „ §. 8. (p. 64. 65.)

15) Florez, España Sagrada. Madrid 1782. 4°. tom. XIII. p. 443.

16) In schedis Societatis aperiendis fontibus rerum Germanicarum medii aevi asservantur. Cfr. infra pag. 25. sq.

17) Lex Romana Wisigothorum ed. Haenel. ubi vide glossas ad Cap. VII. Codicis Theodosiani, de Accusat. (IX, 1.) pag. 461. 462.

18) Historia Remensis Ecclesiae, libri IV. auctore Flodoardo pres-

Herigerus [19], auctor Chronici Cameracensis, qui vulgo dicitur Baldericus Rubeus [20], Hugo Flaviniacensis [21], Chronographus Ferrariensis [22], auctor Historiae annorum [23] 1264—1279, Albertus Magnus [24], Felix Malleolus (Haemmerlin) [25], Valerius Faventius [26].

Saeculo deinde XVI, id est post primam Cosmographiae editionem anni 1575, de Aethico disseruerunt Iosias Simler [27], Hadrianus Iunius [28], Marcus Welserus [29].

Saeculo XVII: Antonius Possevinus [30], Ioannes Savaronius [31], Nicolaus Bergierus [32], Iacobus Sirmon-

bytero. Studio Georg. Colvenerii ... Duaci. 1617. 8°. ubi vide librum I, cap. 1. pag. 4.

19) Gesta Episcoporum Leodiensium, apud Pertz, Monumenta Germaniae Historica, Scriptorum tom. VII, pag. 181. vers. 14. sqq.

20) Chronicon Cameracense et Atrebatense ed. G. Colvenerius, Duaci. 1615. 8°. ubi vide lib. I, cap. 3. et Monum. German. Hist. SS. tom. VII, pag. 403. not. d.

21) Apud Pertz, Monum. Germ. Historica, Scriptor. tom. VIII, p. 291. vers. 36. sqq. et pag. 292, vers. 12. sq.

22) Apud Muratori, Scriptores Rerum Italicarum. tom. VIII. p. 474. B.

23) Apud Pertz, Monum. German. Scriptor. tom. XI, p. 652. vers. 13.

24) Beati Alberti Magni Ratisbonensis Episcopi .... Opera omnia .... recognita per Petrum Iammy. XXI. Voll. in fol. Lugduni 1651. sqq. ubi v. tom. V. librum de natura locorum; tractatum III, cap. 1—9. pag. 282—292.

25) in Dialogo de Nobilitate et Rusticitate. fol. 104.A. sqq.

26) in libro De montium origine. Venetiis 1561. fol.

27) in Epistola Dedicatoria quam laudatae editioni praetexuit.

28) loco supra laudato p. 263.

29) Rerum Augustanarum Vindelicarum Commentarii .... nec non a primo deductae coloniae adusque a. Christi 1502. historiae continuationem continentes: per D. Marc. Welserum, patricium Augustanum, octo libris conscripti. Francof. ad Moenum 1594. fol. min. ubi vide librum III, p. 28.

30) Antonii Possevini Mantuani, Soc. Iesu, Bibliotheca Selecta de ratione Studiorum. Coloniae Agrippinae 1607. fol. ubi vide librum XVII. de poësi et pictura, cap. 5. pag. 410. et cap. 29. pag. 453.

31) Cai Sollii Appollinaris Sidonii, Arvernorum Episcopi, Opera. Paris. 1609. 4°. ubi vide Epistol. p. 542. et Carmin. p. 57.

32) De publicis et militaribus Imperii Romani viis. cf. Thesaur. antiquit. Romanar. ed. I. G. Graevius. tom. X. Venetiis 1735. fol. p. 225. sqq. §. 4—11.

dus [33]), P. Bertius [34]), Guilelmus Burtonus [35]), Gerhardus Ioann. Vossius [36]), Thomas Dempsterus [37]), Thomas Reinesius [38]), Phil. Cluverius [39]), Iacobus Gothofredus [40]), Caspar Barthius [41]), Claudius Salmasius [42]), Ioann. Bapt. Riccioli [43]),

---

33) Iac. Sirmondi, Soc. Iesu presbyt. Opera Varia. Venetiis 1728. fol. tom. I, p. 465. not. d. et pag. 466.A.

34) Commentariorum Rerum Germanicarum libri tres. Amstelodami 1632. 4°. cfr. librum I, cap. 18. pag. 83. 84.

35) A commentary on Antoninus's Itinerary ... so far as it concerneth Britain. London 1658. fol. pag. 5. 6.

36) De historicis latinis. Amstelodami 1627. 4°. lib. III. pars 2. pag. 692. sqq. — Eiusdem De universae Mathesios natura et constitutione liber, cui subiungitur Chronologia Mathematicorum. Amstelod. 1660. 4°. pag. 411. — Eiusdem De Philologia liber.... recensitus a M. Ioh. Crausio. Lipsiae 1670. 4°. pag. 64.

37) Historiae Ecclesiasticae Gentis Scotorum libri XIX. etc. auctore Thoma Dempstero Scoto, I. C. Baron. de Muresck. Eq. Aur. Bonon. Prof. eminente, et in Academia Noctis Evantio. Bononiae typis Nicolai Thebaldini. 1627. 4°. ubi vide lib. I, pag. 59. 60. nro. 107: „Anonymus auctor Antonini Itinerarii“.

38) Th. Reinesii Dantiscani Variarum lectionum libri III. priores in quibus de scriptoribus sacris et profanis classicis plerisque disseritur. Altenburg. 1640. 4°. cfr. lib. I, cap. 13. pag. 45.

39) Germania Antiqua. Lugd. Batav. 1616. fol. cfr. lib. II, cap. 5. pag. 354.

40) Vetus Orbis descriptio graeci scriptoris sub Constantio et Constante Imperatoribus nunc primum post 1300 ferme annos edita, cum duplici versione et notis, Genevae ex typograph. Petri Chouët. 1628. 4°. ubi vide Prolegom. p. 4. — Eiusdem Lib. X. C. Theodos. de Metator. quem laudat Wesseling, Vetera Roman. Itinerar. in Praefat.

41) Adversariorum Commentariorum libri LX. Francof. ad Moen. 1624. fol. cfr. lib. XLV. cap. 13. (tom. I, p. 2085—2088.)

42) Claudii Salmasii Plinianae Exercitationes in Caii Iulii Solini Polyhistor. Item C. I. Solini Polyhistor ex veteribus libris emendatus. Paris. 1629. fol. cfr. pag. 113D. 318E. 322A. 417C. 418E. 479B. 628A. B. 770A. 836D. — Eiusdem Historiae Augustae Scriptores sex. Paris. 1620. fol. pag. 140A. B. 247A. 331C. 335D. 435C. D.

43) Geographiae et hydrographiae reformatae libri XII. Bononiae 1661. fol. praefatio p. 2.

Gabriel. Naudaeus [44]), Philippus Briet [45]), Henricus Valesius [46]), Adrianus Valesius [47]), Carolus Du Cangius [48]), Georg. Matthias König [49]), Mich. Ant. Baudrand [50]), Ioann. Iacob. Hoffmann [51]), Thomas Gale [52]), Christoph. Cellarius [53]), Theodorus Ryckius [54]), Christ. Sandius [55]), Ioann. Hallervordus [56]), Iacobus Gronovius [57]), Paul. Vindingius [58]), Henric. Christ. Henninius [59]).

---

44) Gabr. Naudaei Parisini Bibliographia Politica et arcana status, cum notis ... auctore M. Gladovio. Cura Lupi Fecialis Lips. 1712. §. 30. „Praecepta a principibus ipsis data“. pag. 73.

45) Parallela Geographiae veteris et novae. Paris. 1648. 4°. tom. I, 10.

46) Annotationes ad Ammiani Marcellini rerum gestarum libros qui de 31. supersunt 18. Paris. 1681. fol. cfr. annotat. ad librum XXII. cap. 16. pag. 341. et ad libr. XXIX. cap. 5. pag. 575.

47) Notitia Galliarum, Parisiis 1675. fol. cfr. praefat. pag. IV. et pagg. 46 A. 216 A. 219 B. 504 B. 626 A. etc.

48) Historia Byzantina duplici commentario illustrata, prior familias ac stemmata Impp. .... alter descriptionem urbis Constantinopolitanae complectitur, auctore Carolo du Fresne domino du Cange. Lutetiae Paris. 1608. fol. Constant. Christiana, lib. I, pag. 62. 63. nro. XX.

49) Biblioth. vetus et nova .. a prima Mundi origine ad annum usque 1678. a Georg. Matth. Königio. Altdorfi 1678. 4°. pag. 14. 439.

50) Geographia ordine litterar. disposita. Paris. 1681. fol. tom. II, p. 444.

51) Lexicon Universale. Lugd. Bat. 1698. fol. tom. I, pag. 97.

52) Antonini iter Britanniarum commentariis illustratum Thomae Gale. S. T. P. nuper Decani Eborac. Opus posthumum, revisit, auxit, edidit, R. G. etc. Londini 1709. 4°. pag. 1.

53) Notitia orbis antiqui, sive geographia plenior .... illustr. Christ. Cellarius, auxit. Io. Conr. Schwartz. Lips. 1773. 2 Voll. 4°. ubi vide tom. II, pag. 2. med. 889.

54) in Vindingii epistola pag. 194. cfr. infra not. 58.

55) „Notae et Animadversiones in G. I. Vossii libros III. de Historicis Latinis“, apud Fabricium: Supplementa et Observationes ad Vossium. Hamburg. 1709. 8°. pag. 432.

56) Ioann. Hallervordj Regiomontani, De Historicis Latinis Spicilegium. Ienae 1672. 12°. pag. 11. sq.

57) in praefat. ad editiones supra laudatas.

58) P. Vindingii ad Ioh. Deckherrum Epistola „de scriptis nonnullis adespotis“: apud Ioh. Deckherri „de scriptis adespotis, pseudepigraphis, et supposititiis coniecturae“. Argentorati 1681. 12°. pag. 192. sq.

59) in notis ad Bergieri de publ. et militaribus Imperii Rom. viis

Saeculo XVIII: Beretta[60]), Io. Alb. Fabricius[61]), Petrus Wesselingius[62]), Ioann. Nicol. Funccius[63]), Siegefredus Bayer[64]), Ioann. Horsleus[65]), Gourné[66]), Ioann. Petrus Anchersenius[67]), Christ. Ludovic. Scheidius[68]), Abraham. Gronovius[69]), Christ. Gottl. Iöcher[70]), Franckius[71]),

---

librum III. cap. 6. §. 5. cfr. Graevii Thesaur. antiquitatum Roman. Vol. X. Venetiis 1735. fol. pag. 697.

60) Anonymi Mediolanensis „De Italia medii aevi dissertatio chorographica", apud Muratori Rer. Ital. Script. tom. X. pag. LII.

61) Bibliotheca latina lib. I, cap. 10. nro. XI. (ed. Ernesti, tom. I. pag. 271.)

62) Vetera Romanorum Itineraria, sive Antonini Augusti Itinerarium cum integris Ios. Simleri, Hieron. Suritae, et Andr. Schotti notis. Itinerarium Hierosolymitanum, et Hieroclis grammatici Synecdemus, curante P. Wesselingio. Amstelodami 1735. 4°. ubi vide praefationem.

63) Ioh. Nicol. Funccii Marburgensis „De origine et pueritia latin. linguae libri duo". Marburgi 1735. 4°. — Eiusdem: „De adolescentia latin. linguae tractatus". Marburgi 1723. 4°. §. 12. 13. pag. 304. 305.

64) Acta Borussica ecclesiastica, civilia, literaria etc. oder „Sorgfältige Sammlung allerhand zur Geschichte des Landes Preufsen gehöriger Nachrichten, Urkunden, Schrifften und Dokumenten. Sechstes Stück, Königsberg und Leipzig 1730. 8°. Insunt: nro. IV. Paradoxa Russica, de originibus Borussicis. Epistola Gottl. Siegefr. Bayeri ad Mich. Lilienthalium. tom. I, pag. 888—893.

65) Britannia Romana, or the Roman Antiquities of Britain in three Books. London 1732. fol. ubi vide librum III. cap. 2.

66) Gourné „le géographe méthodique". Paris 1743. 12°. p. XLIV.

67) De scientia fideque Taciti geographica et historica in Germania. Havniae 1748. 4°. (cfr. Scheid ad Eccardi „de origine Germanorum" lib. II. Göttingae 1750. 4°. Praefat. pag. XLII. sqq.)

68) in: Georgii Eccardi „de origine Germanorum eorumque coloniis, migrationibus ac rebus gestis libri duo". Ex schedis manuscriptis viri illustris edidit, figuras aeri incisas adiecit et praefatus est Christ. Ludov. Scheidius. Göttingae 1750. 4°. ubi vide Praefation. p. XLV. et not.

69) in Praefatione ad editionem Pompon. Melae anni 1722. de qua vide supra.

70) Allgemeines Gelehrten-Lexicon. Leipzig 1750. 4°. tom. I, pag. 130.

71) in Catalogo Biblioth. Bunavianae. 1750. 4°. tom. I, p. 414.

Daniel. Schöpflin[72]), Franc. Christ. de Scheyb[73]), Harless[74]), Gerardus Meermann[75]), Gio. Targioni Tozzetti[76]), Christ. Adelung[77]), Andrés[78]), Ioann. Georg. Meuselius[79]), Christophorus Saxius[80]), Sainte-Croix[81]), Matth. Christ. Sprengel[82]), Gerhardus Schöning[83]).

Saeculo XIX: Giacomo Gråberg de Hemsö[84]), Gosselin[85]), Malte-Brun[86]), A. Letronne[87]), Frid. Schoell[88]),

72) Alsatia illustrata. Columbariae 1751. in fol. tom. I. pag. 614.

73) Peutingeriana tabula itineraria in biblioth. Vindobon. asservata, ab eo exscripta. Vindobon. 1753. fol. pag. 11. 12. 32.

74) Introductio in hist. ling. Roman. Edit. secunda. Brem. 1773.

75) in Petr. Burmanni Anthol. veter. latin. epigrammat. et poëmat. Amstelod. 1773. 4°. tom. II, p. 393 B.

76) Relazioni d'alcuni viaggi fatti in diverse parti della Toscana. 2ª. ediz. Firenze 1776. 8°. tom. IX. „Discorso intorno alla vie militari Romane che passavano per la Toscana. pag. 161. sq.

77) Fortsetz. u. Ergänz. zu Iöcher's allg. Gelehrt.-Lex. Leipz. 1784. 4°. tom. I, pag. 280.

78) Dell' origine, progressi e stato annuale d' ogni letteratura. Parma 1787. 4°. tom. III, p. 428.

79) Bibliotheca historica etc. voluminis IV. pars 1. Lips. 1789. Cap. 5. pag. 126. sqq.

80) Onomasticon litterarium. 8 Voll. 8°. Traiecti ad Rhenum 1775 —1803. cfr. tom. I, pag. 414.

81) „Sur une nouvelle édition des petits géographes anciens" in: Journal des Savants. Avril 1789. pag. 249.

82) Geschichte der wichtigsten geographischen Entdeckungen. Halle 1792. 8°. pag. 131.

83) Historische Abhandlungen der Gesellsch. der Wissensch. zu Kopenhagen, übersetzt von Valent. Aug. Heinze. Kopenhag. 1791. 8°. Inest dissertatio Schöningii „von dem wahren Begriffe u. den Kenntnissen, welche die alten Griechen und Römer von den nordischen Ländern .... besafsen". cfr. tom. IV. cap. V. §. 5. 6. (pag. 238—242) et tom. V, achtzehnte Abhandlg. §. 6—22. (pag. 158—180.)

84) Giacomo Gråberg suezzese „Storia della geografia dalla sua origine fino al seculo decimonono", in: Annali di geografia e di statistica. Ianuae 1802. 8°. tom. II, pag. 144.

85) Recherches sur la Sérique des anciens, in: Mémoires de l'Acad. d. Inscr. tom. 49. Paris 1808. 4°. pag. 722.

86) Précis de la géographie universelle. tom. I.: „Hist. de la géographie". Paris 1812. 8°. pag. 285. 355.

Walckenaer[89], Conradus Mannert[90], Bähr[91], Eduardus Böcking[92], Beck[93], de Coelln[94], auctor Britannicus anonymus[95], Grubitz[96], Frandsen[97], Huschke[98], Fridericus Ritschl[99], Theodorus de Moerner[100], Weissenborn[101],

---

87) Recherches géograph. et critiques sur le livre „De mensura orbis terrae", composé en Irlande ... par Dicuil; suivi du texte restitué par A. Letronne. Paris 1814. 8°. pag. 25.

88) Histoire abrégée de la littérature romaine. Paris 1815. 8°. tom. III, pag. 260.

89) in: Michaud „Biographie Universelle" tom. XIII. Paris 1815. 8°. s. v. „Éthicus". pag. 426. sq.

90) Tabula Itineraria Peutingeriana, primum ... edita a F. Christ. de Scheyb, 1753. denuo ... emendata et nova Conr. Mannerti introductione instructa .... Lips. 1824. fol. ubi vide Praefat. pag. VIII.

91) Gesch. der Röm. Literatur. 2. Aufl. Carlsruhe 1832. 8°. p. 686. sq. et: Aug. Pauly „Real-Encyklopädie der klassischen Alterthumswissenschaft". Stuttgart 1839. 8°. tom. I, pag. 197. s. v. „Aethicus Ister".

92) „Ueber die Notitia Dignitatum utriusque Imperii". Bonn 1834. 8°. pag. 75. 84.

93) Georg. Frid. Henric. Beck: dissertatio de Orosii historici fontibus et auctoritate. Gothae 1834. 8°. pag. 8.

94) Ersch und Gruber, Allgem. Encyklop. der Wissensch. u. Künste. Sect. III. tom. 5. Lips. 1834. 4°. s. v. „Orosius". pag. 511.

95) The Penny Cyclopaedia of the Society for the diffusion of useful Knowledge. tom. II. London 1834. 8°. pag. 131. s. v. „Antoninus Itinerary".

96) Ernesti Grubitz „Emendationes Orosianae e codice Portensi aliisque fontibus ductae". Numburgi 1835. 4°. pag. 6.

97) M. Vipsan. Agrippa, eine historische Untersuchung über dessen Leben und Wirken. Altona 1836. 8°. pag. 184.

98) „Ueber den zur Zeit der Geburt Jesu Christi gehaltenen Census". Breslau 1840. 8°. pag. 9.

99) „Die Vermessung des Röm. Reichs unter Augustus, die Weltkarte des Agrippa, und die Cosmographie des sogenannten Aethikus (Iul. Honorius)" in: Rheinisches Museum etc. Neue Folge, 1. Jahrgang. Frankfurt a. M. 1842. 8°. pag. 481—523.

100) De Orosii vita eiusque Historiarum libris septem adversus paganos. Berolini 1844. 8°. pag. 83—86.

101) Ersch und Gruber, Encyklopädie etc. Sect. II. tom. 25. edid. Hoffmann. Lips. 1846. s. v. „Ister". pag. 126.

Gust. Parthey et Maurit. Pinder [102]), Santarem [103]), Bernhardy [104]), Christian. Petersen [105]), D'Avezacius [106]).

Quorum virorum de Aethico Cosmographo sententias iam oblata duobus abhinc annis occasione paullo accuratius exposuimus: quas ex integro hoc loco recensere longum est, nec ullum inde disputationi nostrae fructum possumus percipere. Etenim quum in rebus aliis tum in iis certe quae nonnisi magno nisu neque facile diiudicantur, ubi quidquam vis proficere, fontibus ipsis tibi innitendum erit; ex his igitur quae colligenda esse infra demonstrabimus, si vera sunt, iam aliis argumentis nullis opus est, ut doctorum hominum de Aethico sententias magna ex parte a vero aberrasse ostendamus.

CAPVT II.

Aethici, quem ferunt, Cosmographiam ad verbum fere consentire cum Excerptis Iulii Honorii Oratoris, ita ut idem opus esse videatur, quum ne illum quidem possit fugere, qui utrumque librum strictim tantum atque leviter attigerit, a multis viris et doctissimis non uno loco confirmatum

---

102) Itinerar. Antonini ed. G. Parthey et M. Pinder. Berolini 1848. 8°. Praefat.

103) Essai sur l'histoire de la Cosmographie et de la Cartographie pendant le moyen-age etc. 3 Voll. 8°. Paris 1849—1852. cfr. Indices.

104) Grundrifs der Römischen Literatur, zweite Bearbeitung. Halle 1850. 8°. pag. 574. 578. Anmerkg. 523.

105) „Die Kosmographie des Kaisers Augustus und die Kommentarien des Agrippa". in Mus. Rhenano etc. Neue Folge, 8. Jahrgangs 2. Heft, pag. 161—210. et 3. Heft, pag. 377—403. Frankf. a. M. 1852. 8°.

106) „Mémoire sur Éthicus et sur les ouvrages Cosmographiques intitulés de ce nom, par M. d'Avezac". in: Mémoires de l'Académ. des Inscript. etc. prem. Série, tom. II. Paris 1852. 4°. p. 230—551. cfr. etiam: The Literary Gazette and Journal of Belles Lettres, Arts, Sciences etc. 1841. 4°. London, Saturday, Novemb. 20. pag. 753. 754.

est. Itaque, ut ceteros taceam, inter veteres auctores Claudius Salmasius [107]) et Petrus Wesseling, recentiorum Fridericus Ritschl et Christianus Petersen, Cosmographiam Iulio Oratori tribuunt; neque vero ad quem auctorem eam reducamus ullo modo dubitari poterit.

Nam si paullo accuratius manuscriptos Cosmographiae codices inspexeris, statim apparebit Aethici, quem putant, Geographiam aliud nihil esse nisi libri eius, qui Iulium Honorium ut auctorem profert, recensionem aliam atque auctam. Existunt autem Cosmographiae recensiones omnino tres, quarum secunda quidem hucusque nondum edita est: quae qua potissimum ratione ex vero Iulii Oratoris libro ortae esse videantur, id suis locis infra demonstrabimus.

De Iulio Honorio enim auctore Cosmographiae dubitari vetant manuscripti codicis auctoritas et verba Cassiodori. Nam liber ille vetustissimus et reliquis secundae atque tertiae recensionis manuscriptis longe antiquior in hunc modum explicit [108]):

„Haec omnia in descriptione recta orthografie transtulit publice rei consulens Iulius Honorius magister peritus adque sine aliqua duvitatione doctissimus illo nolente ac subterfugiente nostra parvitas protulit divulgavit et publice scientiae obtulit.

Excerptorum excerpta explicita orthografiae a Iulio Oratore utriusque artis feliciter.“

Quare Cosmographia, si non ab ipso Iulio Honorio, tamen ex exemplari quo in scholis ille utebatur, ab anonymo discipulo eius exscripta sive potius divulgata est, neque ullam causam invenire possumus, cur auctori alii librum assignemus. Accedit quod saeculo sexto Magnus Aurelius Cassiodorus Iulii Honorii Cosmographiam his verbis laudat [109]):

---

107) Exercitationes Plinianae etc. pag. 770 A. 836 D.

108) Pomp. Mela ed. Abrah. Gronov. Lugd. Batav. 1722. 8°. p. 701. 702.

109) M. Aurelii Cassiodori Opera, studio I. Garetii. Rotomagi 1679. tom. II. „De institutione divinarum litterarum liber“. cap. 25. pag. 553. A.

phiae maria XXV, insulae LI, montes famosi XXX, provinciae LV, oppida CCXIX, flumina LV, gentes XC.

Oceanus Orientalis habet

Maria VII.	Oppida LXI.
Insulas XL.	Flumina XVII.
Montes VIIII.	Gentes XXVII.
Provincias VII.	

Oceanus Occidentalis habet

Maria IX.	Oppida LIII.
Insulas VII.	Flumina XII.
Montes VI.	Gentes XXIII.
Provincias XX.	

Oceanus Septentrionalis habet

Maria VII.	Oppida XLVIII.
Insulas XXIV.	Flumina XX.
Montes XII.	Gentes XXI.
Provincias XVI.	

Oceanus Meridianus habet

Maria II.	Oppida LVI.
Insulas IX.	Flumina VI.
Montes IV.	Gentes XIX.
Provincias XII.	

Haec omnia in descriptione recta orthographiae transtulit publicae rei consulens Iulius Honorius magister etc.“

Iam vero omnia in aperto sunt. Dicit enim Iulii Honorii discipulus anonymus: librum magistri, quem „Sphaeram“ appellavit, ob anfractus nonnullos et ambages legentibus fortasse minus intellectum iri; hanc igitur ob causam sese illum excerpendum sibi credidisse, ne aut ipse aut qui postea librum lecturi essent, in errores inciderent. Quare his ex verbis sequitur, non Excerpta tantum Cosmographiae, sed verum Iulii Honorii librum ad nos usque pervenisse; quae autem ibi „Excerpta“ appellantur, ea Cosmographiae a discipulo adiecta sunt. Haec ipsa igitur

Excerpta ab anonymo designantur, ubi paullo post „hic, inquit, liber Excerptorum ab Sphaera ne separetur“: quibus ex verbis Iulii Honorii Cosmographiam „Sphaerae“ nomen praetulisse intelligimus.

Quare Excerptorum auctor verbis „haec ratio ad compendia ista deducta“, „hic liber excerptorum“, „compendia quae infrascripta videbis“, denique „quatuor oceanorum ratio“ idem circumscribere videtur. Hoc autem ea ex re factum est, ut hac ipsa verborum iteratione eo magis librarii deterrerentur, ne a Cosmographia Iulii Honorii Oratoris discipuli excerpta umquam separarent. Causam autem cur excerpta sua a magistri libro avelli noluit ipse exposuit. Si enim posteriorum temporum librarii lapsu calami excerptorum numeros forte immutaverant — id quod facile poterat accidere — tum ex Cosmographia antecedente lectores ipsi vitia illa emendare poterant. Contra si in ipsa Cosmographia marium, insularum cet. nomina omissa erant, discipuli excerptis cum libro Iulii Oratoris comparatis, ex illis singula suppleri poterant. Hoc igitur dicit auctor anonymus, quare minus recte locum illum D'Avezacius interpretatus est l. c. pag. 317.

Iulii Honorii igitur Cosmographia in vero exemplari ita incipiebat: „Oceanus Orientalis haec maria habet: mare Caspium, mare Persicum“ cet.[114]) ita ut prooemio nullo praemunita esset; neque talis operis conditio a natura eius abhorret. Nihil enim est, nisi exilis quaedam quatuor oceanorum nec non montium, insularum cet. qui ad eos pertinere Iulio Oratori visi sunt descriptio: quare in fine additur „Quatuor Oceanorum Continentia Explicit“. Hanc autem oceanorum descriptionem, qua in scholis magister utebatur, „ipso nolente ac subterfugiente protulit, divulgavit et publicae scientiae obtulit“ discipulus quidam cuius nomen ignoratur.

Equidem Iulium Honorium Cosmographiam conscripsisse

114) Gronov. l. c. pag. 691.

credimus, ut melius ita mundi tabulam discipuli perspicerent, cuius nihil fere nisi commentarius est; libellum enim ad mundi tabulam pertinere ex eius indole nec non ex „Sphaerae“ nomine apparet, idque paucos ante annos bene demonstravit Fridericus Ritschl [115]). Fallitur tamen Vir Sagacissimus, si Cosmographiam putat ad Agrippae tabulam compositam fuisse: quae res ex iis saltem argumentis comprobari non potest, quae a Ritschelio afferuntur. Etenim fabulam illam de universi Orbis dimensione, quam reliqui secundae atque tertiae recensionis codices ad unum omnes exhibent, in Iulii Oratoris exemplari non fuisse certo certius est. Cuius rei multa argumenta exstant. Et primum quidem infra paullo accuratius ostendemus, ex quo fonte sumpta in secundae recensionis libros irrepsisse videatur; deinde vero ex ipsis editoris verbis patet, fabulam illam in Iulii Oratoris Cosmographia nondum infuisse. Excerpta enim marium, insularum cet. quae in reliquis codicibus cum „dimensione universi orbis“ ita semper coniunguntur, ut eius quasi summa esse videantur: ea non ab ipso Iulio Honorio, sed ab eius discipulo magistri operi adiecta sunt. Quare etiam si forte concedendum esset, „dimensionem“ illam Cosmographiae ab initio additam fuisse, tamen non ab ipso Honorio, sed tantum a discipulo adiectam eam diceremus. Quod tamen cur nullo modo concedendum sit, iam suo loco demonstrabimus. Ceterum Excerpta illa non ab ipso magistro Cosmographiae subiuncta esse, quod ex ipsis excerptoris verbis patet, iam ea ex re colligitur, quod iterum atque iterum discipulus, ne ab Sphaera umquam separentur monet: id quod certe opus non erat, si ab Iulio Oratore scripta, totius operis necessaria quasi pars fuissent.

2. Haec igitur, ut videtur, vera Cosmographiae forma erat, ut descriptionem quatuor oceanorum sine ulla auctoris praefatione complecteretur et compendiis illis in fine

115) in Museo Rhenano 1842. l. c.

operis adiectis. Quod autem in codice Parisiensi 4808. sive eo, ex quo Gronoviana Iulii Oratoris Cosmographiae orta est editio, prima illa excerptoris verba scilic. „Excerpta eius Sphaerae .... excerpendam esse credidimus“, recto atque vero ordine neglecto, in capite libri collocata inveniuntur, hoc ni fallor eam ob causam a librario factum est, quia ratione libri haud perspecta prooemium ille desiderabat.

Deinde vero reliqua excerptoris verba, scilicet „Et ut haec ratio ad compendia ista deducta in nullum errorem cadat cet. .... quatuor, ut iterum dicam, oceanorum ratio non praetermittenda“, ne sine ullo sensu esse viderentur, in fine libri collocanda erant. Qua in re librarius ille sic versatus est, ut etiam verba „Sunt enim per orbem totum terrae cosmo Cosmographiae cet. .... gentes XC“, quamquam quatuor oceanorum compendia praecedere debebant, sive errore quodam sive per levitatem animi, una cum proxime antecedentibus a pristino suo loco amoveret. Hac igitur ratione sententiarum nexus ita turbatus est, ut quid auctor dicere voluerit haud facile intelligas [116]).

Neque vero locum illum librarius intellexit, qui secundam recensionem edidit. Quia enim verba „Excerpta eius Sphaerae .... excerpendam esse credidimus“ in initio Cosmographiae posita, sicut optime perspexit, minus apta videbantur — nam quae sequuntur, non Excerpta sunt, sed Iulii Oratoris Cosmographia integra — is quidem pro verbo „excerpendam“ scripsit „exponendam“, quod omnes huius recensionis libri manuscripti exhibent. Quae res quantum subsidium sententiae nostrae praebeat, neminem ut credimus effugiet. Revera enim ipsum Iulii Honorii opus ante

116) Quare haud mirum videtur d'Avezacium de hoc loco ita indicasse p. 314. not. 2.: „On voit au premier coup d'oeil combien cette leçon est préférable au galimatias du manuscrit 4808, fidèlement reproduit par Gronov p. 691: „Propter aliquos anfractos ne intellectu forte legentis perturbet, et vitio nobis achrosticis esset, hic excerpendam esse credidimus“.

oculos habemus, quae autem ex libro eius discipulus excerpsit, ea in fine Cosmographiae legimus. Ad haec autem Excerpta sola extrema illa verba pertinent quae scriba codicis adiecit „Excerptorum Excerpta explicita Orthographiae a Iulio Oratore utriusque artis feliciter". Scriba enim, initium libri sequutus, Iulii Honorii opus „Excerpta" appellavit; sic igitur ea quae ex his discipulus excerpsit, certe „Excerpta Excerptorum" erant. Cosmographia Iulii Honorii his verbis finitur „Quatuor oceanorum continentia explicit". Itaque a vero aberrarunt non solum Targioni Tozzettus [117]), verum etiam qui nuperrime de hisce rebus sententiam suam promulgavit D'Avezacius [118]).

3. Restat, ut pauca disputemus de Cosmographiae titulo. Haec autem nomina invenimus: „Quatuor oceanorum continentia"; — „Excerpta vel continentia Sphaerae"; — „Sphaera"; — denique „Descriptio recta Orthographiae". Quorum eundem fere sensum habere videntur tria illa „Excerpta vel continentia Sphaerae", „Sphaera", „Descriptio Orthographiae", siquidem vox „Orthographia" usurpari potest pro „tabula mundi" [119]). Ex his igitur nominibus apparet, Cosmographiam Iulii Honorii nihil esse nisi Commen-

117) l. c. tom. IX. pag. 161.

118) l. c. pag. 315—320.

119) Apud Vitruvium I, 2. eodem fere sensu ita usurpatur, ut delineata alicuius rei imago ea voce designetur. Accedit quod Cod. Laurentian. Mediceus 919. saeculi X (de quo infra disputabimus) hanc inscriptionem praefert: „Descriptiones terrarum et aquarum a Romanis scriptarum. Incipit Ortograφia. Lectionum pervigili cura comperimus" etc. Quare mediae latinitatis homines hanc vocem usurpasse videntur pro „Descriptio tabulae mundi". Mihi tamen pro „Orthographia" in omnibus his locis scribendum videtur „Cosmographia", ita ut lapsu calami ex hac voce illa orta sit, quod eo facilius accidere poterat, quo magis vox „Orthographia" scribenti melius fortasse nota erat, quam „Cosmographia". Accedit, quod in extremis Iulii Honorii Cosmographiae verbis „Excerptorum Excerpta explicita orthographiae" cet. pro „EXPLICITA ORTHOGRAPHIAE" sine ullo dubio scribendum est „EXPLICIT COSMOGRAPHIAE". In libris autem manu scriptis saec. VI—IX. verbum explicit saepius cum Plurali substantivi coniungitur.

tarium quo in scholis utebatur ut mundi tabulam discipulis eo melius explicare posset. Quare his nominibus quo fonte Cosmographia nata sit ostenditur: qui autem reliquus est titulus „quatuor oceanorum continentia", is ad indolem magis et naturam Cosmographiae pertinet, quippe quae „quadripertita descriptione" universum terrarum orbem amplexa sit.

Nos Iulium Oratorem Cosmographiae suae hunc titulum dedisse credimus:

„EXCERPTA SPHAERAE",

neque tamen ut in talibus certi quidquam affirmaverim, praesertim quum reliqua quoque nomina haud minus apte libro inscribantur.

---

4. Recensionis autem eius, quam primam fuisse contendimus, codicem manuscriptum unum tantum habemus, scilicet:

1* Cod. Parisiensem Biblioth. Nation. 4808, olim Moissiacensem, deinde P. Pithoei, tum Thuaneum, deinde Colbertinum 2565. membranaceum, non una manu scriptum. Hunc laudat in Bibliotheca Bibliothecarum tom. II. pag. 961 B. col. 1. Montefalconius.

Insunt: I. Pseudo-Aethicus et Itinerarium Antonini, saec. XII. Codex et eleganter scriptus et optime servatus est.

II. Itinerarium sequuntur: Excerpta ex Iulio Honorio saec. VI.[120]) litteris uncialibus exarata. — Itinerarium Hierosolymitanum saec. IX; — Excerpta ex Hieronymo de gentibus, saec. X; — Anonymi de Hierosolyma relatio saec. X; — Noticia provinciarum Galliae saec. X; — Nomina provinciarum Romana-

---

120) ita, teste V. Cl. Gustavo Parthey: non s. VIII. quod ex Bibliothecae Parisiensis Catalogo exceperunt Pertz, Archiv etc. VII, pag. 50. init. et D'Avezacius l. c. pag. 315. init.

rum saec. X; — Fragmenta e Valerio Maximo saec. XV; — Vibius Sequester saec. XV; — Aethicus ab Hieronymo translatus saec. XII; — Aenigmata langobardico charactere exarata; — Anonymus de proprietate provinciarum, saec. XIV.

Hic autem liber, quod supra exposuimus, exemplar ipsum Iulii Oratoris non fuit, sed ex illo tamen exscriptus est. Quod ut statuamus eo adducimur, quia alium huius recensionis codicem non indagavimus, et quod ex hoc libro omnes secundae atque tertiae recensionis codices sine ullo dubio orti sunt, quam rem ita esse infra demonstrabimus. Codicis autem nostri archetypum (ut credibile est), et fortasse ipsum Iulii Honorii Oratoris — sive potius discipuli — exemplar, liber alius erat de quo Cassiodorus loquitur.

1. Codex Cassiodori, saec. V. exaratus (?) cfr. de hoc libro verba Cassiodori [121]): „Libellum Iulii Oratoris, quem vobis reliqui, studiose legere festinetis: qui maria, insulas, montes famosos, provincias, civitates, flumina, gentes, ita quadrifaria distinctione complexus est, ut paene nihil libro ipsi desit, quod ad Cosmographi notitiam cognoscitur pertinere".

Quae autem ex codice manuscripto in Notis ad Pomp. Melae librum III, cap. I. [122]) et ad lib. III, cap. IX. [123]) Isaacus Vossius de Durio flumine et de Nilote scribit, ea ex meliore quodam huius recensionis (sive Iulii Honorii Excerptorum) libro depromta non sunt, ut vult Christianus Petersen [124]), sed ex codice Parisiensi Biblioth. National. Supplem. 685. saec. IX. qui quidem ad secundam recensionem pertinet [125]), et ex cod. Paris. 4871. saec. XI. antea Thuaneo [126]).

---

121) l. supra laudato.

122) cfr. Pomp. Melam ed. Abrah. Gronov. Lugd. Bat. 1722. 8°. p. 527.

123) ibid. pag. 598.

124) l. c. pag. 196.

125) cfr. infra pag. 31. sq.

126) cfr. infra pag. 36.

Haec habeo, quae de vera Cosmographiae forma disputem; iam vero ad alios libros accedamus quo melius sententia ea confirmari possit, quam de Iulii Oratoris Cosmographia hucusque exposuimus.

CAPVT III.

DE SECVNDAE RECENSIONIS INDOLE ET LIBRIS MANVSCRIPTIS.

§. 4.

DE SECVNDAE RECENSIONIS INDOLE.

Secundae recensionis Cosmographiae natura atque forma tales sunt, ut facile appareat, primam editionem quae Iulium Honorium auctorem praefert, emendatam postea atque auctam fuisse ab homine nescio quo. Qui quum Iulii Honorii opus suis curis ita emendasset, ut novus quasi liber extitisse videretur: illius Oratoris nomen, quod priori Cosmographiae editioni subiungitur, iure suo optimo omisit.

Est autem secundae recensionis forma haec. Compendia illa insularum, montium, provinciarum, oppidorum, fluminum et gentium omnium in terrarum orbe, quae sub finem prioris editionis addita inveniuntur, ea auctor noster, quisquis fuerit, ordine illo pristino neglecto, ita transposuit, ut verba „Excerpta eius Sphaerae“ cet. quae per errorem, sicut demonstravimus, in initio Cosmographiae codicis Parisiensis 4808. librarius collocavit, proxime antecederent. Qua ex re sequitur, secundae recensionis codices ex hoc ipso Parisiensi libro emanasse.

Transpositionem autem illam compendiorum, de qua diximus, cur factam esse statuamus, nullo modo dubitari poterit. Quum enim idem auctor ex alio quodam fonte,

in Cosmographiam sit translata optime ostendit. Sunt enim Chronicorum Gothicorum verba haec:

„Iulius Caesar adeo potens, adeo probus fuit, ut solus sine duce, sine comite, toti ymperaret orbi. Cui adingressum Rome post cedem Pompei Arabes nomen Cesar imposuerunt: eo quod matre defuncta palpitare cepit in alvo. unde ceso ventre vivus eductus est cum plena cesarie capitis, ac si pubes quatuordecim esset annorum. Cui iam adulto iamque super totam fere terram regnanti dixerunt sui: „„Omnis terra est tibi subiugata praeter Ispaniam; sed prae nimia luti copia non poteris eam contingere neque illic usque ad estatem venire““. Quod ipse non curans, a Pireneis montibus ad Ispali usque collem sub tecto fieri praecepit. totumque mundum in longitudine et latitudine circuivit, ac duos consules Narcum et Cathonem ad hoc praefecit. Postea mensuravit a Roma usque in orientem, et occidentem, et austrum, et septemtrionem. Nochodoxus prepositus praefuit illis qui mensuraverunt terram a Roma in orientem; Ridimus occidentalibus praefuit; Prepositus in mensuratione austri Pelagius; Prepositus in mensuratione septentrionalis plage Todora; De qua satis mensuratione dictum est in Geometria“.

„Mensuratio orientalis facta fuit 36. annis ac 3. mensibus et 17. diebus; Mensuratio occidentis in 29. annis et 8. mensibus; Mensuratio septentrionis 23. annis et uno mense et 20 diebus; Mensuratio austri 21. annis et 5. m. et 9. diebus. Iterum fecit collem a Roma usque ad Cordubam, et a miliario in miliarium columnam poni praecepit, et singulis columnis nomen suum insculpsit; Rexitque post totum orbem quinquennio et mortuus est. 5. Octavius Caesar regnavit annos 56 et 6 menses“ etc.

Quibus ex verbis librum extitisse colligimus quem Chronicorum auctor decimo huius aerae saeculo ante oculos habebat, cui libro nomen erat „Geometria“, et qui quum

---

stant in V. Etymolog. libro, cap. 36: „De annis“, §. 4. (Opera ed. Arevali, tom. III, p. 229.), et in Appendice VI. „De Indictione“ ex codice Albanio. (Opera ed. Arevali, tom. III, pag. 511. 512.)

omnium terrarum in longitudinem et latitudinem porrectiones, tum de mensione universi orbis a Iulio Caesare instituta narrationem exhibebat multo accuratiorem quam ea est, quam hodie legimus in Cosmographia. Neque vero plura in Chronicis illis invenimus, quibus certiorem aliquam de „Geometria“ notionem suscipere possemus; tamen ex titulo operis coniiciendum erit, exhibuisse librum mensuras provinciarum, ni fallor, eas quarum partem apud Plinium aliosque, nec non in secundo Pauli Orosii Historiarum capite invenimus, quod vulgatae Pseudo-Aethici Cosmographiae subiungitur. Quas res continet liber quidam saepius iamiam editus, sed ita quidem ut de vera eius natura nemo fere suspicatus sit [130]). Est autem liber ille de quo agitur idem fere quem e codice Vaticano signato 244. primum edidit Emanuel a Schelstrate [131]), deinde Angelus Maius [132]), denique Georg. Heinricus Bode Dr. [133]). In hunc enim librum optime quadrat nomen „Geometriae“, quum omnium terrarum ab India usque ad Britanniam mensuras exhibeat. Quamvis igitur in hoc dimensurationis ab Augusto factae vestigium nullum inveniamus, tamen eundem librum esse credimus quem Chronicorum Gothicorum auctor laudat. Magnam enim libri partem amissam esse facile intelligimus, nisi forte dicendum est epitomen videri maioris cuiusdam operis atque eius, quod in fronte narrationem habuit eam, quam secundae recensionis Cosmographiae auctor inde transtulit [134]).

---

130) cfr. tamen: Antiquitas Ecclesiae, dissertationibus, monimentis, ac notis illustrata, opera et studio Emanuelis a Schelstrate. II. Voll. Romae 1692 et 1697. cfr. tom. II. „Appendix ad opus geographicum“. p. 528.

131) l. c. tom. II, pag. 525—527.

132) Classicorum auctorum e codicibus Vaticanis edit. tom. III. Romae 1831. 8°. pag. 410—415.

133) Scriptores rerum mythicarum edid. Dr. Georg. Heinricus Bode. tom. II. Cellis 1834. 8°. pag. XX—XXIII.

134) In fine libri scriptum invenimus „Epitome totius orbis finitur“. Cod. Palatinus 1357 S. Hieronymi nomen in fronte gerit. In hoc enim libro geographia sic inscribitur: „Ieronimi prespiteri demensuratio provinciarum“. Equidem hucusque MSS. codices numero XI. investigavi, editurus

3. Restat, ut de libris manuscriptis huius editionis pauca afferamus. Sunt autem, qui secundam recensionem exhibent, codices undecim, quos pro indole eorum duas saltem familias efficere dicendum est. Quarum priorem (FAM. A.) constituunt libri ii qui incipiunt:

„INC. CRONICA IVLII CAESARIS. Iulio Caesare et Marco Antonino coss. omnis orbis peragratus est“ etc.

et qui deinde desinunt post verba „Massilio benses“. Ad familiam autem alteram (FAM. B.) pertinent reliqui codices ita incipientes:

„INC. DIMENSIO VNIVERSI ORBIS TERRARVM A. I. CAESARE, MARCO, ET ANTONINO COSS. FACTA. Omnis orbis peragratur“ etc.


qui libri sub finem post „Massili gens. Avenei gens“ haec adiiciunt: „Sunt quatuor Caesareae sub axe mundi: Caesarea Palestina. Caesarea Cappadociae. Caesarea Mauritaniae. Caesarea Spaniae . quae per Augustum accepit nomen eo, quod opulentissima et necessaria populi esse videbatur“. Quibus ex verbis familiae B. archetypum in Hispania conscriptum fuisse sequitur.

Scimus autem cod. Scorialensem II, R. 18. saec. VIII. antea Ovetensem, inscriptum esse: „DIMENSIO TERRAE“, reliquos familiae A. libros incipere „CRONICA IVL. CAESARIS“; quare libri MSS. familiae B. ex codice Scorialense orti videntur. Cuius igitur familiae liber antiquissimus quum codex sit Augiensis, qui non post a. 822. conscriptus est, ita ut haud multum aberraturi simus si saeculo VIII. exaratum eum fuisse dicimus; iam inde fortasse colligendum est, reliquos quidem codices qui ad familiam B. pertinent, ex Augiense illo libro: Augiensem autem codicem exscriptum esse ex eo qui (Scorialensis hodie) antea Ovetensis dicebatur.

---

librum ubi occasionem nactus fuero. Dignus enim tali opera videtur praesertim quum Dicuilus quoque magnam geographiae, quam conscripsit, partem ex hoc fonte sumpserit. Ceterum cfr. etiam D'Avezacium l. c. p. 437.

Accedit — si quidem hoc loco nobis ea praecipere licet, quae nonnisi sequentibus paginis ita se habere comprobari possunt — quod ex hac secunda Cosmographiae editione tertia sive ea orta est recensio, quae apud Ios. Simlerum ceterosque editores invenitur; sed ita orta est, ut in medio utriusque recensionis Dicuili liber et codicis Romani Casanatensis stet apographum. Etenim Casanatensis liber, etsi saeculo demum XIV. exaratus, tamen sivè recta via sive per circuitum descriptus est ex codice deperdito, quem post initium saeculi octavi conscriptum non fuisse concedendum est. Nam hoc eodem (id est octavo) saeculo Vindobonensis liber exaratus est, qui fontem habet tertiae recensionis codicem eum, quem infra littera A. signavimus, et qui ex codicis Casanatensis exemplari natus est.



Quare codicis Casanatensis archetypum (Cod. Z.) quod ex Dicuili codicis exemplari (Cod. Y.) descriptum esse suo loco demonstrabimus, quum post initium saeculi VIII. ortum non sit: sequitur, librum eum ex quo illud emanavit et ipse Dicuili manuscriptus liber — hoc est Cod. Y. — saeculo saltem septimo compositum fuisse; qua ex re concludimus, alium eum codicem fuisse, ac Scorialensem nostrum saeculi octavi. Quoniam autem codex Casanatensis nec non Dicuili codex ad secundam recensionem pertinere videantur, iam utriusque codicis communem fontem (Cod. Y.) ad eandem recensionem pertinuisse apparet. Quid igitur, si ex hoc ipso libro, quum iam saeculo septimo conscriptus sit, sive potius eius ex archetypo (Cod. X.) Scorialensem exortum esse dicimus?

Restant secundae recensionis libri quinque, qui ad eandem pertinent familiam ac Scorialensis, et qui in fronte gerunt verba „Chronica Iulii Caesaris". Quorum antiquissimus (Parisiens. Supplem. 685. saec. IX.), ni fallimur, archetypum est cod. Vaticani 3864. saec. X. ex quo libro sua vice ortus est cod. Palatinus 973. saec. X. qui deinde exemplar fuit codicis Havniensis 357. saec. XVIII, ut videtur, scripti. Quintus denique, scilicet codex Paris. 7418. saec. XV. etsi ad familiam A. pertinere eum scimus, tamen ex quonam superiorum descriptus esse videatur, pro certo non comperimus. Hos omnes autem ex primae recensionis codice eo natos fuisse, quem unum adhuc exstare saepius diximus, hoc est ex codice Paris. 4808. saec. VI. iam supra satis demonstratum est. Quare haec fere est cognationis tabula, si II. Recens. fam. A. respicimus:

Cod. Paris 4808.
saec. VI.

Codd. fam. A. quinque — Cod. X. saec. VII?

Paris. 7418. saec. XV. — Paris. Suppl. 685. s. IX. — Scorialensis saec. VIII. — Cod. Y. saec. VII?

Paris. Suppl. 685. s. IX.
|
Vatican. 3864. s. X.
|
Palatin. 973. s. X.
|
Havniensis 357. s. XVIII.

Sic codices secundae atque tertiae recensionis Cosmographiae omnes ex libro saeculi sexti orti sunt, quem in Hispania conscriptum fuisse dixerim. Iulium Honorium enim natione Hispanum fuisse ea ex causa, ut opinor, colligendum est, quod Hispaniae et adiacentium Galliae partium notitiam multo accuratiorem quam Italiae eum intelligimus habuisse. Nam pag. 694. 695. etsi Hispaniae flumina omnia nec non multa oppida enumerantur, nullum Italiae fluvium, et ne Tiberim quidem aut ipsam Romam, laudatum ibi reperimus. Sic eodem loco cum fluviis Galliae meridionalis insigniora quoque oppida notantur. Sed de his aliisque quae huc spectant alio loco disserendum

erit, scilicet ubi de Iulio Honorio Oratore disputabimus. Quare missis ceteris iam ad ipsos libros manuscriptos transeamus.

§. 5.

DE LIBRIS MSS. QVI AD FAM. A. PERTINENT.

1. Cod. Scorialensis II R, 18. antea Ovetensis forma fere quadrata. Continet varia geographica, historica, theologica, in quibus Pseudo-Aethici Cosmographiam saeculo VIII, ut videtur, exeunte scriptum. Incipit fol. 55[1]: DIMENSIO TERRAE. „Iulio Cesare marco et antunino“ cet. explicit fol. 62. rect.

Praestantissimum hunc codicem, anno 1572 Oveti ab se inspectum, Antonius de Morales putat origine Toletanum esse (cfr. Viage para reconocer las reliquias .... y libros manuscritos de las Cathedrales y Monasterios; dale a luz Fr. H. Florez, Madrid 1765. fol. pag. 93.). De eo videndi sunt G. Parthey et M. Pinder l. c. pag. XX. sq.

De hoc autem libro quo minus amplius quicquam compertum habemus, eo magis laetandum est, quod eam saltem partem inspicere nobis contigit, quae dimensionem orbis et enumerationem marium, insularum cet. continet. Hanc enim partem ex codice, ut videtur, Scorialense dum Oveti asservabatur exscripsit Chronicorum Ovetensium auctor, qui a. 883. opus suum composuit. Typis autem expressum invenies apud Florez, España Sagrada, Madrid 1782. in quarto, tom. XIII, pag. 433. [135]).

2. Cod. Parisiensis Biblioth. Nation. Supplem. Latin. 685. saec. IX. membran. Inest pag. 237 — 262: CRONICA IVLII CESARIS [136]). „Iulio Caesare Marco

---

135) Fallitur Christ. Petersen, si pag. 171. a. fin. dicit: fragmenta tantum Cosmographiae hoc libro contineri, quod certe nullo modo quos ille laudat, pag. XXI. init., VV. Cll. Gust. Parthey et Maurit. Pinder edixerunt. Cod. Scorialensis Cosmographiam Iulii Honorii integram exhibet.

136) cfr. D'Avezac. l. c. pag. 306. not. 1.

et Antonino" cet. Post enumerationem deinde marium, provinciarum etc. in hoc libro scribitur: „EXPLICIT EXPOSITIO. Excerpta eius sphaerae vel continentiae propter aliquos anfractus ne intellectus forte legentis turbetur, et vitia nobis adscriberentur, hic exponendum esse credidimus" etc.[137]) Quare consentit codex noster cum Vaticano 3864, ita ut hunc ex illo descriptum fuisse statuendum sit. Est autem, si D'Avezacio credimus[138]), codex ille de quo agitur idem, quem Salmasius possidebat et quem saepissime laudat in Plinianis Exercitationibus[139]) et in Notis ad Historiae Augustae Scriptores[140]); sed confer Petersen, l. c. pag. 172 init. qui qua ratione permotus cod. Paris. 4871. Salmasianum olim fuisse dixerit, plane ignoramus. Ceterum librum nostrum eundem esse quo utitur Isaac. Vossius in Observationibus ad Pomp. Melam, l. III, cap. 1. pag. 527. ed. Gronov. iam supra demonstravimus[141]).

2* Cod. Vaticanus 3864. saec. X. membranac. Insunt: fol. 1—74 recto. Caesar de bello gallico; — fol. 74': INCIPIT [CRONICA IVLII CAESARIS[142])] „Iulio Caesare et marco antonino consulibus" etc. vide supra pag. 20. sq. Quae autem sequebantur post „mare rubrum . mare arabicumque" ea omnia exciderunt usque ad extrema Cosmographiae verba (apud Gronov. p. 700). Quare fol. 75. rect. sic desinit: „Quas gentes in oceano meridiano

137) cfr. D'Avezac. p. 314. qui tamen codicem non tam fideliter descripsisse quam correxisse potius videtur. Neque enim dubitamus, fore ut in libro illo scriptum sit, ut habet cod. Vatican. 3864. „EXCEERTE EIVS FERE vel continentia propter aliquos anfractus ne intellectum forte legentis perturbet . et vicio nobis ascribatur . exponendum esse censuimus".

138) pag. 306, not. 1.; pag. 314, not. 2.; pag. 340. p. med.

139) cfr. pag. 628 A.B.; pag. 770 A. etc. editionis Parisin. 1629. fol.

140) cfr. Hist. August. Scriptores, etc. Paris. 1620. fol. pag. 140 A.B.; pag. 247 A.; p. 435 C.D.

141) cfr. supra pag. 18. a. fin.

142) Verba, quae virgulis [—] inclusimus, erasa sunt.

sunt . hierasim caminabes ifansenses dostrei fluminensis quinq . genuanniburenses . mazices . marmarides nasūrutes garamantes theorides curbisenses veitani rusuccenses fratenses bordiofitani musuenses vanniores astenites barbarigenses alamaggei vacantes massilio benses". Hoc loco librarius, et in media quidem linea, scribendi finem fecit, ita ut ultima codicis pagina vacua remanserit.

Descriptus autem videtur codex noster ex cod. Paris. Suppl. Lat. 685. de quo supra disputavimus. Magnam eius partem nobis excerpsit V. Cl. Lud. Bethmann Dr.

2*a. Cod. Vaticanus Palatinus 973. membranac. in quarto. saec. X. conscriptus [143]).

In hoc libro leguntur: fol. 1—4: Computationes chronologicae usque ad Caroli Magni tempora deductae; — fol. 5—139: Pseudo-Aethici Cosmographia; quae incipit: INC. CRONICA IVLII CAESARIS „Iulio Caesare etc. .... massilio benses". Excidit autem quaternionis secundi folium alterum, ita ut inter extrema primi folii verba: „[Achelous] in mare Ionium currit" [144]), et initium tertii folii lacuna sit. Folium enim tertium incipit: „et ea corona includit omnem regionem Acarniam (sic!) et a corna (sic!) usque Acarnaniam" etc. quae verba ad descriptionem Nili fluminis pertinent qualem quum ceteri huius recensionis libri omnes habent, tum cod. Monacensis Aug. Ies. 14e, MS. Peutinger 36. saeculo XV. exaratus, fol. 9' exhibet.

Codex Palatinus descriptus est ex proxime antecedenti; eius partem excerpsit et nobiscum communicavit L. Bethmann.

2*a'. Cod. Havniensis [145]), Collect. Reg. Nov. 357. chartac. in quarto paginarum 19. Codex manu francogallica medio saeculo XVIII. conscriptus est, nam in margine paginae primae leguntur haec:

143) ita, non saec. IX. ut vult Petersen pag. 171.

144) Aethicus ed. Gronov. pag. 719.

145) cfr. Pertz, Archiv VII, pag. 160.

„Paraphé au désir de l'arrest du 5. *Juillet* 1763.
Mesnil.“

Inest Cosmographia Iulii Oratoris, quae incipit: „Iulio Caesare et Marco Antonio Consulibus .... Massiliobenses. Explicit“. Eadem in hoc nostro desiderantur, quae exciderunt ex codice Vatic. Palat. 973. cuius apographum est. Nam ex hoc fonte codicem Havniensem natum esse quum natura libri, tum annotatio ostendit quam post verba: „Fluvius Achelous nascitur in camposephiro influit in mare Ionium. currit“ scriba adiecit. Pergit enim pag. 15: „hic duo folia desunt in Msto. Palatino“; sequuntur verba „et ea corona includit omnem regionem Acarniam (sic!)“ etc.

Huius libri partem benigniter nobis descripsit V. Cl. E. Chr. Werlauff, Bibliothecae Regiae Praefectus.

3. Cod. Parisiensis Bibl. Nation. 7418. membranac. in quarto, saec. XIV. quem habuit Philibertus de la Mare.

In hoc libro, una eademque manu exarato, Excerpta leguntur varia ex Isidori Etymologiis et scriptis Bedae Venerabilis, quibus inserta est Pseudo-Aethici Cosmographia. Nam capite nono agitur „De Libya et partibus eius“ secundum Isidorum, caput autem decimum, quod incipit quatern. XIX. fol. 8. inscriptum est: DE COSMOGRAPHIA; sequuntur deinde verba haec: „Iulio Caesare, Marco Antonino consulibus omnis orbis peragratus est per sapientissimos et electos viros. A Nicodoxo oriens, a Didimo occidens, a Theodoto septentrion, a Policlito meridies“ etc. [146]) Duobus igitur capitibus, scilic. cap. X. et XI. Cosmographia absolvitur; sequitur capite XII. Isidori liber „De mensuris agrorum“. Quae omnia in indice qui sub finem codicis adiectus est his verbis designantur: „Bedae de naturis rerum, et sequuntur duo libri per capitula distincti qui sumuntur ex Isidori Etymologiis, sicut ibidem in titulis praenotavi“.

---

146) cfr. D'Avezac. l. c. pag. 314. not. 3. et pag. 340. not. 3.

§. 6.

DE LIBRIS MSS. QVI AD FAM. B. PERTINENT.

Secundae familiae codices inscripti sunt:

„INC. DIMENSIO VNIVERSI ORBIS TERRARVM A IVL. CAESARE, MARCO ET ANTONINO CONSVLIBVS FACTA. Omnis orbis peragratur" etc.

ex his tres MSS. libri post verba „Massili gens. Avenei gens" in fine operis adiiciunt locum illum de „quatuor Caesareis sub axe mundi". Qui autem ad fam. B. pertinent manuscripti libri quinque, eos ex archetypo defluxisse in Hispania conscripto supra diximus. Hoc deinde vetustissimum exemplar, ut videtur, ortum est ex codice fam. A. antiquissimo, scilicet ex codice Scorialense saeculi VIII. [147]) qui, quamvis titulum Cosmogr. habeat „DIMENSIO TERRAE", tamen opus ipsum hisce verbis incipit „Iul. Caesare" etc.

Archetypum vero codicum fam. B. fortasse codex est Augiensis, quem primo loco recensebimus [148]).

B. Cod. Augiensis [149]) quem post annum 822. conditum non fuisse eo colligitur, quod vetus ille librorum Augiensium catalogus, qui nostrum quoque librum exhibet, intra annos 787 et 822 ab Reginberto monacho compositus est. Vide: Neugart „Episcopatus Constantiensis" tom. I. pars 1. pag. 548. [150])

---

147) cfr. supra pag. 28. post med.

148) cfr. supra pag. 28. a. fin.

149) Augia Dives, hodie „Reichenau" appellata, sita est in insula lacus Veneti prope Constantiam.

150) Episcopatus Constantiensis Alemannicus sub Metropoli Moguntina cum Vindonissensi, cui successit, in Burgundia Transiurana Provinciae Vesontinae olim fundato, chronologice et diplomatice illustratus a. P. Trudperto Neugart. Partis I. Tom. 1. typis S. Blasii 1803. 4°. p. 547—552: „Incipit brevis librorum quos ego Reginbertus indignus monachus atque scriba

Legebantur autem in hoc libro antiquissimo:

Computationes regum Romanorum, Caesarumque, Consulumque; — libri grammaticae artis Donati; — de metrica arte libri Bedae presbyteri; — libellus de centum metris; — liber de aenigmatibus Symphosii; — liber fabularum Aniani poëtae; — libri duo Boëtii de musica arte; — et liber astrologiae Arati; — et liber Boëtii geometricorum; — et libri duo Alcuini de rhetorica et dialectica arte; — et liber Iulii Caesaris de mensione universi orbis; — et liber ethicae Hieronymi de Cosmographia; — et libri duo de architectura Faventini; — et liber unus hebraicus Apulei.

Ex hoc igitur codice reliqui huius familiae libri descripti fuisse videntur.

B.1. Cod. Parisiens. Bibl. Nation. 4871. antea Thuaneus, tum Colbertinus, membranaceus in folio mai. saec. XI. ut aiunt exaratus; in quo una eademque manu scripta inveniuntur:

P. Orosii presbyteri historiarum libri VII; — fol. 99 —104: Cosmographia Iulii Caesaris, quae incipit: „INC. DIMENSIO VNIVERSI HORBIS A IVLIO CESARE AVGVSTO ET ANTONINO. Omnis orbis peragratur etc. ...... massilii gens . avenii gens. EXPLICIT COSMOGRAFI IVLII CESARIS"; — fol. 104: Brevis chronologia Geneseos, Iudicum, Regum et Paralipomenon; — liber Aethici philosophi natione Scythae, ... et ab Hieronymo prbto. latine versus; — fragment. ex libro Bedae de ratione temporum; — Methodii Patarensis episcopi prophetia de regnis gentium; — Isidori chronic. fragment.; — fragment. vetustissimum ad Cosmographiam pertinens, Longobardico charactere exaratum. (cfr. Catalog. MSS. Bibliothecae Parisiensis Regiae. fol. tom. III.)

---

in insula coenobii vocabulo Sindleozes Auva sub dominatu Waldonis, Heitonis, Erelebaldi, et Ruadhelmi abbatum, eorum permissu de meo gradu scripsi aut scribere feci, vel donatione amicorum suscepi".

In hoc libro locus ille de Durio flumine omittitur, quem habet prima huius operis recensio [151]) nec non secundae editionis codices familiae A. [152]) Neque tamen vitium illud hoc nostro libro ortum esse inde apparet, quod qui tertiam recensionem exhibent libri omnes eadem lacuna deformantur. Hos autem ex eodem fonte ortos esse ostendemus [153]), ex quo huius editionis (scilic. secundae) libri illi nati sunt, qui ad familiam B. pertinent; quare ad praedictum codicem (cod. X.) vitium illud reducendum erit, quod deinde in omnes codices familiae B. irrepsit. Codicem vero nostrum cur Salmasii quondam exemplar fuisse contenderit Christ. Petersen [154]) id plane ignoramus; neque magis D'Avezacium intelligimus ubi Cosmographiam scribit eadem pagina incipere qua Aethicus ab Hieronymo translatus explicit [155]), quum Iulii Honorii librum, si quidem Catalogo MSS. Bibliothecae Parisiensis Regiae ulla fides est, non Aethicus excipiat, sed „Brevis chronologia Geneseos" etc. [156])

B. 2. Cod. Vaticanus Palatinus 1357. membranaceus in fol. saec. XIII. in Gallia aut Germania una manu exaratus.

Insunt: fol. 2. Imago mundi; — fol. 20. „Inc. nomina XI. reg. continentium infra se prov. CXIII .... Valen-

---

151) cfr. Iul. Honorii Excerpta ed. Gronov. p. 694.

152) cfr. locum quem ex cod. Paris. Suppl. 685. Isaac. Vossius affert in Notis ad Pompon. Melae lib. III, cap. 1. (pag. 527. ed. Gronov.) et Petersen l. c. pag. 196.

153) scilic. ex codice X. saec. VII? de quo tabulam inspicias quam pag. 29. delineavimus.

154) l. c. pag. 172. init. cfr. quae supra annotavimus de codice Paris. Supplem. 685. (vide pag. 32.)

155) Verba D'Avezacii (pag. 294) haec sunt: „Une particularité curieuse, c'est que la Cosmographie vulgaire D'Éthicus, qui nous occupe en ce moment, commence sur la page même où finit le livre traduit par Jérôme".

156) Hunc codicem laudat Isaac. Vossius in Notis ad Pomp. Melae lib. III, cap. 9. (Gronov. pag. 598). Vide supra pag. 22. a. finem.

Codex exscriptus est ex proxime antecedenti; eius partem nobis excerpsit Ludovicus Bethmann [159]).

Undecim igitur qui secundam recensionem exhibent codices manuscripti, etsi familias duas constituunt, tamen ad unum reducendi sunt archetypum, ita ut haec fere cognationis videatur esse tabula. (cfr. infra pag. 41.)

§. 7.

RELIQVI SECVNDAE RECENSIONIS CODICES.

Singulari quadam Fortunae gratia accidit, ut (quod talibus in rebus caput est) ne ratio quidem illa in obscuro sit, qua ex secunda recensione tertiam ortam esse statuamus. Etenim duos manuscriptos libros extitisse certum est, qui secundam editionem ut in ceteris sequuti sunt, tamen alio quodam fonte usi, Cosmographiae talia fere adiecerunt, qualia tertiae recensionis codices, ac si verae Cosmographiae essent partes, susceperunt.

Est autem nobis res cum vetere illo libro quem ante oculos quondam habuit Dicuilus monachus, qui nonnullos etiam locos eius operi suo verbotenus inseruit; deinde vero dicendum erit de codice Romano Casanatense, cuius accuratiorem cognitionem Lud. Bethmanno debemus.

I.

Codex Dicuili de quo ipse cap. VI. §. 9. [160]): „Brevius de sequentibus fluviis ex Cosmographia tantum praedicta, nuper in meas manus veniente, excerpetur". Quare

159) Idem fortasse codex est — nisi forte Palatin. 1357 fuisse putas — cuius apographum se habere scribit Lucas Holstenius anno 1647. cfr. P. Lambecii lib. VI. de Bibl. Caesar. apud Gronovium l. c. pag. 690.

160) cfr. Recherches géographiques et critiques sur le livre „De Mensura orbis terrae" composé en Irlande, au commencement du neuvième siècle, par Dicuil; suivi du texte restitué par A. Letronne. Paris 1814. 8°. pag. 33.

RECENSIO I.

COD. PARIS. SAEC. VI.

- Codices Fam. A. quinque.
  - Cod. Parisiens. 7418. saec. XV.
  - Cod. Paris. Suppl. 685. saec. IX.
    - Cod. Vaticanus 3864. saec. X.
      - Cod. Palatinus 973. saec. X.
        - Cod. Havniensis 357. saec. XVIII. med.
- [Cod. X. saec. VII.?][1])
  - Cod. Scorialensis saec. VIII.
    - *Cod. Augiensis saec. IX. in?*
      - *Cod. Parisiens.* 4871. *saec. XI.*
      - *Cod. Palatin.* 1357. *saec. XIII.*
        - *Cod. Monac. Aug. Ies.* 14[e] *saec. XV.*
          - *Cod. Palatin.* 1356. *saec. XVI.*
  - [Cod. Y. saec. VII?][2])
    - Cod. Dicuili saec. IX?
    - [Cod. Z. saec. VII?][3])
      - Cod. Casanatensis saec. XIV.
      - [*Cod. A. saec. VII?*][4])
        - *Cod. Vindobonensis* 181. *saec. VIII.*
        - *Cod. Neapolit. Borbonic. saec. XV.*

---

1) Ex hoc codice incipit vitium illud de quo supra diximus: scilicet ut Fluvius Durius in descriptione fluminum occidentalium omissus sit, quod ceteri deinceps libri MSS. omnes propagarunt, qui ad familiam B. pertinent.

2) Ex hoc codice incipit primum vestigium tertiae recensionis, quum is primus Orosii Geographiam, vel partem eius, cum Cosmographia Iul. Honorii Oratoris coniunxerit.

3) Hic codex descriptionem Mensurationis terrae ab Augusto perfectae verbis auxit „Itaque Iulius Caesar, bissextilis rationis inventor" etc. Ex hoc igitur omnes tertiae recensionis libri orti sunt.

4) Hic liber primus Descriptionem urbis Romae cum Cosmographia Iulii Honorii Oratoris, Orosii Geographia, denique Itinerario Antonini conglutinavit, ita ut unum opus constituere viderentur. Exhibet itaque primam tertiae recensionis familiam.

quum librum suum „De mensura orbis terrae“ anno, ut videtur, 825. in Hibernia conscripserit, sequitur codicem illum Cosmographiae saeculi IX. initio nullo modo recentiorem fuisse. De natura autem manuscripti eius libri nos certiores faciunt quae laudavimus Dicuili monachi excerpta pag. 26. 33. 34. 35. 36. 43. 55. 56. 61. 64. 65. quibus ex locis quid colligi possit iam videndum est.

Et primo quidem Cosmographiam in codice suo inscriptam invenit, ut videtur, ita: „INC. COSMOGRAPHIA. Iulio Caesare et Marco Antonio consulibus“ etc. aut: „INC. COSMOGRAPHIA A IVLIO CAESARE ET MARCO ANTONIO COSS. FACTA. Omnis orbis peragratur“ etc. [161])

Quae quum ita sint apparet codicem secundae recensionis fuisse, si non ad familiam A., tamen certe pertinentem ad fam. B., id quod ceteris apud Dicuilum locis confirmatur. Sequitur enim auctor noster, ut accuratior quaedam Cosmographiae cum Mensura eius docet comparatio, secundam omnino recensionem: tertiam vero, sive vulgatam Pseudo-Aethici, lectionem fere nusquam; qua de re conferenda sunt quae de Nilo fluvio [162]), de Malva [163]), de Perusta solis insula [164]), excerpsit. Neque tamen huius recensionis libros ita sequutus esse videtur, ut nonnumquam aut paucioribus in descriptione verbis non sit usus, aut locos quosdam non servaverit, qui in iis saltem libris omittuntur quorum subtilior ad nos usque notitia peraccessit.

Verum enimvero pag. 55. 56. quae de Cypro atque Creta legimus, et quae in Cosmographia invenisse se adfirmat Dicuil: haec in tertiae tantum recensionis libris, et in ea quidem parte inveniuntur, quam descriptam esse ex Orosio credimus. Quare in codice Dicuili si tripertitam

---

161) cfr. Dicuil. l. c. pag. 26. (cap. VI. §. 3. nro. 9.) „Cosmographia quae sub Iulio Caesare et Marco Antonio consulibus facta est“.

162) l. c. pag. 26.

163) l. c. pag. 36.

164) l. c. pag. 43.

illam mundi descriptionem coniunctam fuisse cum Cosmographia statuendum erit: quis est quem fugiat ex quonam fonte tertia Pseudo-Aethici recensio nata sit? quum altera ex parte cum secunda Cosmographiae editione Dicuili codex consentiat, cum tertia autem ex altera.

Neque tamen hoc loco omnia in aperto sunt. Nam insulae Sardiniae, Corsicaeque descriptionem, quam et Orosius exhibet et omnes tertiae recensionis codices, eam Dicuilus noster, ut ex verbis eius apparet [165]), in suo libro non repertam ex Orosio hausit. Quid igitur? an dicendum est, non omnem Orosii geographiam, sed eum tantum locum Dicuili codici adiectum fuisse, qui de Cypro insula et Creta agit? Nulla certe causa est, cur statuamus codicem illum eas partes exhibuisse quae in Orosii libro aeque ac in tertiae recensionis manuscriptis „Insularum nostri maris" descriptionem antecedunt; nam quae de Salinarum lacu ex Cosmographia profert auctor noster [166]), ea quum in primae et secundae editionis libris, tum etiam desiderantur in tertiae recensionis manuscriptis et Orosio: qui nihil nisi nomen ipsum retinuerunt. Quibus causis permotus equidem putaverim locum istum de Salinarum lacu quem Dicuili codex exhibet, ut alia multa, casu quodam ex nostris libris excidisse; qua in re videndum erit, num in iis solum vitium illud reperiatur qui ad familiam B. pertinent, an in libris quoque familiae A. Sive vero Orosii geographiam integram, sive extremam tantum eius partem Aethico in codice Dicuili adiectam fuisse credimus: tamen librum illum in medio stare recensionis tertiae et secundae certum est. Eadem autem natura praeditus est codex ad quem nunc accedimus.

---

165) l. c. pag. 61. „Ad Sardiniam illa mensura constat; quoniam 20. mil. quae in primo Orosii libro atque XIV°. Etymologiarum [Isidori] scripta sunt, non .... pertinent: ipsius Corsicae latitudinem in Orosii libro primo per 36. mil. pass. dilatari legimus".

166) pag. 64.

II.

Cod. Romanus Casanatensis A. II, 34. saec. XIV. membranac. Omisso nomine auctoris incipit: „Iulius Caesar bissextilis rationis inventor, divinis humanisque rebus singulariter instructus, cum consul erat censuit omnem orbem admetiri per prudentissimos viros. A consulatu itaque C. Iulii et M. Antonii cons. usque ad consulatum Augusti III. et Crassi, omnis Oriens dimensus est annis 21. mensibus 5. diebus 8. a Theanochodoso“ cet. ...... „Oceanus meridianus habet innumerabiles gentes, que .... possunt. Hanc quadrip. totius terre continentiam hii qui dimensi sunt longe citroque maiores nostri“ etc. ...... Insula Sardinia .... a meridie Numidicum sinum, a septentrioni“. Desunt reliqua.

Codicem hunc eandem quam tertiae recensionis libri habent lectionem exhibere aperte comparatio docet; neque tamen cum his initium sumit a verbis: „Lectionum pervigili cura comperimus“ etc. quae auctori tertiae editionis tribuenda esse infra demonstrabimus.

Hac igitur ratione Cosmographiae recensiones singulae exortae sunt, ut vero atque incorrupto Iulii Honorii Oratoris operi secundae editionis quisquis auctor fuerit, is locum illum de mensura orbis Cosmographiae capiti ex „Geometria“ addiderit, turbato quoque ordine multisque pro ingenio suo immutatis. Cui operi mox alius emendator manus iniecit, qui aut geographiam Pauli Orosii integram, aut partem eius, Cosmographiae adligavit; quem qui sequutus erat auctor codicis ex quo Casanatensis liber descriptus est, verbis Cosmographiae capiti praepositis „Iulius Caesar bissextilis rationis inventor ..... cum consul erat, censuit“, additaque extremis libri partibus Orosii orbis descriptione, — quam intercalato illo loco „Hanc quadripartitam totius terrae continentiam hi qui dimensi sunt longe citroque“ cum praecedentibus in unum quasi confundere studebat, —

Iulii Honorii Oratoris Cosmographiam ita immutaverat, ut novum quasi opus extitisse videretur.

Iam vero quem tam caecum esse putas, ut non plane videat ex hoc Casanatense libro tertia, ad quam nunc transimus, quomodo exorta sit recensio?

CAPVT IV.

DE TERTIAE RECENSIONIS INDOLE ET LIBRIS MSS.

§. 8.

DE TERTIAE RECENSIONIS INDOLE.

Ad secundam igitur Cosmographiae recensionem codices pertinent quos hucusque commemoravimus numero XIII; reliqui autem XLIX. quorum partem tantum accuratiore quadam notitia amplexi sumus, omnes tertiam quam vocamus recensionem exhibent: hanc vero eandem esse quam Simlero duce Cosmographiae editores typis exprimendam curaverunt supra diximus. Sed ut melius intelligatur quibus potissimum rebus tertia a secunda recensione discrepare videatur, hoc loco pauca nobis de natura eius atque indole dicenda sunt.

Et primum quidem vulgatae recensionis libri manuscripti, Casanatensem codicem vel eius potius archetypum sequuti, non solum Orosii descriptionem orbis Cosmographiae adiecerunt, verum etiam inde locum desumpserunt: „Iulius Caesar bissextilis rationis inventor“ etc. Deinde vero, quo arctius partes operis coniungerentur, qui huius recensionis auctor extitit, Orosianae Descriptionis praefationem adiectis paucis nec non immutatis aliis in initium Cosmographiae transtulit: verba scilicet „Lectionum per-

vigili cura comperimus, Senatum populumque Romanum, totius mundi dominos, domitores orbis et praesules" etc. usque ad verba: „non divisionis merito, sed sicut incisa suis fluctibus invenitur" [167]). Quem locum ut cum primis Casanatensis libri verbis: „Iulius Caesar bissextilis rationis inventor" omnino confunderet, auctor ille vocem „Itaque" inseruit; et sic demum eam formam nacta est praefatio operis qua in huius recensionis libris praedita est, eiectis quoque verbis „Excerpta eius Sphaerae vel continentia... exponendam credidimus", de quibus supra fusius disputavimus. Nisi forte, id quod affirmare non possumus, iam in Dicuili libro et in codicis Casanatensis archetypo omissa ea fuisse statuendum est.

Tum autem idem castigator, quum rerum geographicarum compendium quasi vellet instituere, alios subinde libros et qui neutiquam ad eam pertinent, Honorii Oratoris Cosmographiae addidit. Quare post Orosii geographiam primo loco posuit „Descriptionem urbis Romae", quam hisce verbis intromissis conglutinavit cum Orosii geographia: „nunc ad maiorem demonstrationis structionem, in quantum vigilantia nostra investigare potuit, demonstrabo, ex aeterna urbe Roma initium sumens, quae caput est orbis et domina senatus".

Denique iisdem fere verbis tertium opus cum duobus praecedentibus coniunxit, Itinerarium scilicet quod Antonini Augusti vocant; quae verba secundum codicis Neapolitani Borbonici auctoritatem ita leguntur: „His igitur taliter decursis, ad maiorem demonstrationem singularum mundi partium itinera describam".

Itaque tertiae recensionis auctor, quamquam alia geographica fortasse multa sive in suum sive in aliorum usum in eundem codicem congessit, tamen quatuor saltem praedictas partes ita summa opera conglutinavit, ut unum atque idem opus viderentur constituere. Qua ex re quanta

167) cfr. Gronov. pag. 705. vers. 3—26.

nata sit doctorum hominum perturbatio, quam diversae deinde opiniones, hoc supra satis exposuimus.

Iam vero, si de tempore dicendum est, quo talem collectionem factam esse statuamus: eam post Solini tempora conditam fuisse ex eo apparet, quod Descriptio urbis Romae ex Solino hausta, ut supra demonstravimus ab ipso huius recensionis auctore Cosmographiae est adiecta. Deinde id quoque concedendum erit, natam esse post Orosium, quia eius orbis descriptionem ad verbum fere exhibet. Qua ex re colligimus, recentiorem eam esse anno 417: etsi nobis quidem ob multas causas sit persuasum, Descriptionem illam ut erat eius consuetudo [168]) magna ex parte aliunde ab Orosio esse haustam.

Hoc tamen certum est, Cosmographiae tertiam recensionem saeculo octavo extitisse, quum illo tempore iam alia quaedam eiusmodi collectio ex priore facta sit quae reliquorum codicum quos indagavimus, ni omnia fallunt, quasi mater appellanda est.

Ingentem autem numerum librorum qui ad tertiam recensionem pertinent, pro eorum indole familiis sex vel septem assignavimus; qua in re si forte quidquam minus recte institutum est, id hanc ob causam condonandum nobis esse dixerim, quod longe maior codicum manuscriptorum pars in libris de eiusmodi rebus tractantibus tam magna negligentia designata est, ut in familiis constituendis haud raro divinatione quadam atque coniectura opus sit.

§. 9.

DE LIBRIS MSS. FAMILIAE A.

Tertiae recensionis familiam primam libri manuscripti hi constituunt, qui quatuor novae collectionis partes: Iulii Honorii scilicet Cosmographiam, Descriptionem Orosianam,

---

168) De hac re vide „De Orosii vita eiusque historiarum libris VII. adversus Paganos“. Scripsit Theodorus de Moerner Dr. Berolini 1844. 8°.

Descriptionem urbis Romae, denique Itinerarium Antonini, et ratione quidem supra memorata, in unum confundunt; id quod ab auctore tertiae recensionis ipso ita institutum fuisse credimus. Cuius familiae unus tantum liber vices temporum effugit, scilicet:

Codex Neapolitanus Borbonicus CLXXII. (bis), IV. D. 22. bis. chartaceus in folio, accurate sed non una manu scriptus. Compactus est ex duobus codicibus.

Insunt, manu saec. XV. exarata I. fol. 1. Pseudo-Aethici Cosmographia, quae incipit: „Inc. Itinerarium totius orbis de loco ad locum et de civitate ad civitatem dimensus a senatoribus prudentibus viris, compositum a G. Iulio Cesare, qui primus imperium habuit, et pervenit usque ad Octavianum Augustum. „Lectionum pervigili cura comperimus .... munere instructos. IN . QVANTO . TEMPORE . TOTVS . ORBIS . HABITABILIS . PERAGRARI . POTEST. A cons. autem I. Caesaris usque ad cons. Saroni et Cine a Poli clima (sic!) meridiana pars dimensa est a. 22. mense 1. diebus 20. sicut definita demonstratur. Ac sic omnis orbis terrae intra annos 22. a dimensoribus peragratus est, et de omni eius continentia ad Senatum est perlatum. OPPIDORVM . FLVVIVM (sic!) ET . GENTIVM . DESCRIPTIO . TOTIVS . ORBIS . MARIVM . INSVLARVM . MONTIVM . PROVINCIARVM. Habet autem omnis oceani orbis" etc. .... „prae interiacentibus eremis possunt. DE . DISTANTIIS . ORBIS . IN . AS . EVROP . ET . AFRIC. Hanc quadripartitam" etc. .... „magnitudine celebres habentur. Et quoniam universarum urbis (sic!) spatia vel insularum descripsimus . nunc ad maiorem demonstrationis structionem, in quantum vigilantia nostra investigare potuit, demonstrabo, ex eterna urbe Roma initium sumens, quae caput est orbis et domina senatus. EXPL . DESCRIPTIO . ORBIS . TRIPARTITI . DESCRIPTIO . VRBIS . ROMAE . ET . STRVCTIONIS . INCHOATIO. „Ab Enea Troiano quod habet exordium.

ibi ara est Herculis, ubi nunc est Trigemina porta" ...... „habet autem milia 42. Hiis (sic!) taliter decursis vel relatis, prout regiones urbis cum edificiis suis [fol. 11. recto.] facti sunt, describamus Regiones [169]). De situ et structione urbis Romae satis ut reor memoriae traditum est. Nunc iam orbis splendorem Italiam in relationis principio ponenda (sic!) est, quod Romani imperii monarchiam, locorum salubritatem, celi temperiem" ..... „vulturibus similes" [170]). — fol. 22¹: „His igitur taliter decursis, ad maiorem demonstrationem singularum mundi partium itinera describam. INC . ITINERARIVM . ANTONII . AVGVSTI. „Provintia Africa a Tingi ..... de Yspanis a Bellone traiectus in Tingi Mauritimam (sic!) stadia CC . XX. [171]) — Sequuntur deinde haec: „Provintia dividitur in regiones. Regio in regnum. Regnum in villas" ...... „digitis extensis". — Sequuntur: „Divisiones temporum sunt XIV." ...... „XL. momenta horam faciunt". — Tum sequenti pagina: „DE COSMOGRAPHIA. Iulio Cesare et M. Antonio coss. omnis orbis peragratus est per sapientissimos et electos viros. a Nicodoxo oriens, a Didimo occidens, a Theodoto septentrio, a Policrito meridies. A consulatu suprascripti" ...... „demensa est. Omnis orbis habet maria 29. Insulas" .... „Omnes civitates que edificatae sunt super terram sunt 6227." Post haec sequitur folium vacuum. — „INC . DESCRIPTIO . TERRE . SANCTE . ET . TOT . TERRAE . PROMONT . PER . PETRVM . CASSINENSEM". post quam 3. folia vacua remanserunt. — „INC . LIBER . DIGNITAT . ROMAN . IMPER. „Habet .... trabarie". Deinde sequuntur fol. quatuor

169) Regionum tamen descriptio in hoc libro omissa est: sequitur statim „De situ et structione urbis Romae".

170) Haec omnia excerpta sunt ex Solini polyhistore, ed. Bipontin. Cap. II, §. 2. sqq.

171) cfr. Itinerarium Antonini edid. Parthey et Pinder pag. 241. vers. 5.

vacua. Hucusque codex eadem saeculi XV. manu exaratus est.

II. Sequitur alia manu conscriptum: „INC. GEOMETR. MARTIALIS“.

III. Iam quae sequuntur manu Arnaldi de Steccans de Brixella exarata sunt III. Kal. Mart. anni 1474. scilicet:

Cosmographia Pomponii Melle; — Annotatio urbium atque provinc. Gallic. cum privilegiis suis; — Nomina omnium provinciarum; — Summa descriptio orbis terre nostre habitabilis. „Nostre terre habitabilis situs .... usque ad utrosque polos zodiaci“.

Ad calcem libri „Finis die 6. Aprilis 1484. per Arnaldum de Steccans de Bruxella. Neapoli“.

Hunc igitur codicem natum esse ex secundae recensionis libris, quum iam reliquis ex causis quas attulimus appareat, tum ea ex re colligitur, quod Didymi nomen retinuit. Qua in re notandum est, librarium codicis — qui in Cosmographia describenda pro ingenio suo ita saepe versatus est, ut multa stilo immutaret — quamvis in ipso Iulii Honorii opere mensuram terrae paucis verbis breviter perstrinxerit: locum antea omissum, speciali titulo ornatum, post „Descriptionem urbis Romae“ supplevisse. Quae res certe alio modo instituta erat in nostri codicis archetypo. Denique vero locus ille de Tiberi fluviorum rege et de Petri atque Pauli Apostolorum portis [172]) iam in codice Borbonico reperitur, incertum num tertiae recensionis tribuendus sit auctori, an in Casanatense iamiam et eius archetypo infuerit. Ex hoc nostro autem libro, id est ex exemplari eius, reliquos tertiae recensionis omnes locum illum suscepisse certum est.

---

172) cfr. Gronov. pag. 716.

§. 10.

DE LIBRIS MSS. FAMILIAE B.

Itaque qui primus libros geographicos in corpus Cosmographicum (si fas est dicere) coëgit, eorum ita ordinem disposuit, ut Iulium Oratorem non Orosiana solum sequeretur geographia, verum etiam cum aeternae urbis descriptione Antonini, cui ascribunt, Itinerarium. Neque vero ceteri auctores eodem modo versati sunt: nam reliqui tertiae recensionis codices a Cosmographia nostra Romae descriptionem plane dirimunt, ita ut aut alio loco collocata sit aut omnino desideretur. Quare quamvis iam nullus sensus inesse videatur verbis, quae primus auctor hanc ob causam Orosii geographiae addidit, ut melius sic cum Descriptione Urbis cohaerere videatur [173]), tamen ab omnibus librariis asservata in tertiae recensionis libris inveniuntur.

Horum autem alteram familiam [B.] eos dicimus efficere qui, etsi omnes orti sunt ex cod. Borbonici archetypo, tamen suo loco reliquorum quotquot reperiuntur fontes extiterunt. Naturam vero codicum si quaeris, ita constituti sunt, ut talem inscriptionem habeant:

„IN . NOMINE . DEI . SVMMI . INC . COSMOGRAPHIA . FELICITER . CVM . ITINERARIIS . SVIS . ET . PORTIBVS . ET . EX . FASTIBVS . ROMANORVM . ET . CONSVLVM . NOMINIBVS . ET . DIVERSIS . SINE . QVO . NEMO . PRVDENTIVM . ESSE . POTEST“.

Libris deinde qui huc pertinent XII. alii duo adnumerandi sunt, qui titulum gerunt ex priore abbreviatum ita:

„INC . COSMOGRAPHIA . CVM . ITINERARIIS . SVIS“.

Causa autem, cur ex huius potissimum familiae libris

173) verba scilicet: „nunc ad maiorem demonstrationis structionem, in quantum vigilantia nostra investigare potuit demonstrabo, ex aeterna urbe Roma initium sumens, quae caput est orbis et domina Senatus“. cfr. Gronov. l. c. pag. 733. extr.

reliquos tertiae recensionis codices exortos esse credimus ea est, quia hoc loco vitium illud primum invenitur quod deinde reliquos libros omnes defoedavit: scilicet ut nomen Didymi omitteretur. Quem enim quamvis VII. huius familiae libri optimi servaverint, in reliquis tamen ut videtur omnibus excidit, ita ut illi tres tantum mensores fuisse tradant. Quare codices familiae B. in tres partes abeunt. Harum autem partium primae adiudicabimus codices VI. optimos, qui quidem ex antiquissimo Vindobonense exscripti sunt. Ex his deinde secundae classis libri VII. nati sunt, sive ii qui Didymum omittunt: quorum priores V., quum eandem inscriptionem habeant, eiusdem codicis habendi sunt apographa. Denique supersunt duo atque ii, quibus brevior ille titulus communis est, quare alterum ex altero exscriptum esse iudicabimus. Neque enim in tanto manuscriptorum librorum numero veri simile est latere adhuc multos, et praesertim eos qui recentiori aetate confecti sunt; ita ut haud multum aberrare credimus, si et a Vindobonensi codice meliores notae sex, et eodem modo reliquos ab uno eodemque libro emanasse dicimus. Quam rem ita se habere iam aliis argumentis demonstrabimus.

I.

CODICES ORDINIS PRIORIS VII.

B. Cod. Vindobonensis Caesareus 181. Histor. profan. 658. (Endlichero CCCXXIX.) saecul. VIII. exarat. membranac. litteris uncialibus conscript. foliorum 60. in 4°.

Insunt: fol. 1. Pseudo-Aethicus, qui incipit: „In nomine Dei summi ϖ Incipit Cosmographia feliciter cum Itenerariis suis et portibus et ex fastibus Romanorum et consolum (v above o) nominibus et diversis, sine quo nemo prudentium esse potest. ϖ „Lectionum pervigili cura .... quae caput est orbis et domina Senatus“. EXPL. FELICITER DESCRIPTIO

TOTIVS ORBIS TRIPERTITI; — fol. 26—60: „INC. ITENERARIVM PROVINCIARVM ANTONI AVGVSTI“. etc.

Primo codicis folio verso: „Ex Bibliotheca Caes^a^. Viennensi Leopoldi primi, Caesaris Augustissimi“. Huius praestantissimi libri apographum accuratissimum VV. Cll. Gust. Parthey et Maurit. Pinder singulari humanitati debeo.

Ex hoc nostro libro septem alii descripti sunt, quorum duo Vindobonenses sunt, duo Hannoverani, quintus autem Parisiensis idem est, quem codicibus secundi huius familiae ordinis adnumerabimus; denique veri simillimum, immo certum, est sextum quoque huius classis, Vaticanum scilicet 1883. Vindobonensis nostri apographum esse, ex quo rursus exscriptus videtur Vratislaviensis Rehdigeri codex.

B. 2. Cod. Vaticanus 1883. antea Trivultianus, mbranac. forma maiori, cuius in fronte legitur: „Est Augustini Trivultij Cardinalis S. R. E.“

Insunt: „Ex Plutarco de vita demostenis per Leonardum Aretinum“; — ab eadem manu: „Inc. dialogus domini Leonardi aretini ortantis viros studiosos ad exercitium dissputandi“; — ab alia manu: „Vita titi quintij traslata de greco in latino per G. Veronensem“; — a manu saec. XIV. ineuntis: Pseudo-Aethicus et Itinerarium Antonini, ita: „In nomine Domini summi. Inc. Cosmographia feliciter. Cum itenerariis suis et portibus . et ex fastibus Romanorum . et consulum nominibus . et diversis, sine quo nemo prudencium esse potest. Lectionum ...... domina Senatus. Explicit feliciter descripcio totius orbis tripertiti“; — fol. 44': „Inc. Itenerarium provinciarum Antoni augusti“; — a manu longe recentiori: „Ratio totius orbis .et provinciarum ab Orosio presbytero descripta“.

Codex descriptus est ex vetustissimo libro Vindobon. Caesar. 181. saec. VIII.

B. 2*. Cod. Vratislaviensis Biblioth. Rehdigeranae 63. signatus S. I, 4. 1. chartaceus, saec. XV. fol. min. Constat foliis 14, singulae autem paginae versuum sunt 46. In dorso libri manu Th. Rehdigeri scriptum legitur: „AETHICI COSMOGRAPHIA“ [173a]).

Cosmographia iisdem verbis incipit ac in libro Vindobon. 181. cum quo ita consentit, ut tantum non ex illo descriptus fuisse videatur codex noster (cfr. Petersen l. c. pag. 167.). Qua ex re colligimus, apographum esse codicis Vaticani 1883.

B. 3. Cod. Vindobonensis Caesareus, Supplem. 14. saecul. XV. exeunt. membran. foliorum 119. In Italia nitidissime sed vitiose tamen scriptus, e Bibliotheca Olomucensi in Caesaream Vindobonensem transmissus est anno 1837: fuit quondam (anno 1670) Collegii Societatis Iesu Brunae.

Insunt: fol. 1—25': Pseudo-Aethici Cosmographia, ita: „Lectionum .... domina Senatus. Explicit fel. descript. totius orbis tripertiti“. Verba „In nomine Dei summi. Incipit Cosmogr. felic. cum Itinerariis suis“ etc. in hoc codice desiderantur quidem, sed novem versuum spatium initio vacuum relictum est a librario, ut postmodum expleri possent quae omissa erant. — fol. 26: Itinerarium Antonini; — Nomina aquarum; — P. Victor de regionibus urbis; — Dicuil; — Annunciationes provinciarum.

Huius codicis partem excerpsit et nobiscum benigniter communicavit V. Cl. Gustavus Parthey; dubitationes deinde aliquot postea ortas solvit V. Cl. Iosephus Chmel Tabularius Caesareus. Exscriptus est ex cod. Vindobonens. Caesar. 181. saec. VIII.

---

173 a) Verba quae affert Petersen l. c. scilicet: „Libellus admodum memorabilis, cuius ope multa refici possunt in vulgato verborum contextu“ in dorso codicis non invenimus; ibi enim alia nulla reperiuntur atque ea quae supra annotavimus.

B. 4. Cod. Hannoveranus, olim Biblioth. MSS. Meibomianae 107. chartaceus, saec. XV. non una manu exaratus, in 4°. foliorum 181. negligenter scriptus.

Insunt praeter alia multa[174]: fol. 45' Gesta Romanorum accurtata; — fol. 62. rect. Pseudo-Aethici Cosmographia, quae incipit: „Cosmografia. In nomine Dei summi. Incipit Cosmografia feliciter cum Itinerariis et portibus suis ex fastibus Romanorum et consulum nominibus et diversis sine quo nemo prudencium esse potest. Leccionum pervigili cura comperimus" etc. .... [fol. 64. recto extrem.] „flumina duo sunt, Nilus et Bagrada. Nilus et Geon appellatur. Gentes et habet innumerabiles . quae nec colligi numero nec existimari aut comprehendi pro interiacentibus heremis possunt". Sequitur fol. 64'. init.: „Asia tribus partibus circumcincta" [175] etc. ...... [fol. 69, rect. vers. 10:] „que caput est orbis et domina senatus". Explicit feliciter descriptio totius orbis tripertita. Incipit itinerarium provinciarum Antoni Augusti. Et intermissis multis ignotis . sequitur de quibusdam famosis. „Iter quod a Mediolanio" etc. — fol. 72. 73. sequitur continuatio quaedam recentiori aetate confecta; — fol. 95. Descriptio urbis Romae; — fol. 96. „Ad Cosmographiam pro via ambulandi n̄l ad promptum. Naves que dicuntur Kogghen mercimonia ducunt per medium" cet. — fol. 96. et 104. Mappa mundi; — fol. 97. init. — fol. 98. rect. Cosmographia Pseudo-Aethici ex superiori libro descripta vel potius excerpta, quam excipit fol. 98, vers. 28: „Ex itinerario provinciarum Antonii Augusti. Iter a Mediolano" etc. cum recentiori continuatione; — fol. 101'. Burchardi descriptio Terrae Sanctae, et alia.

---

174) cfr. Pertz, Archiv etc. tom. VIII. pag. 640—642.

175) Gronov. pag. 723, vers. 15.

Codex nullum fere pretium habet, quum excerpta tantum Cosmographiae contineat, quorum ea quae inde a fol. 62. usque ad fol. 69. legimus ex cod. Vindobonensi exscripta sunt, quae autem fol. 97. 98. reperiuntur, ex antecedentibus abbreviata esse videntur.

Hunc librum ipsi tractavimus.

B. 5. Cod. Vindobonensis Caesareus 3222. rec. 1872. (Endlichero CCCXXX.) chartaceus, saec. XVI. in quarto. foliorum 182.

Insunt: Emanuelis Lusitaniae Regis Epistola ad Iulium II. P. Max. de victoriis in India habitis, data ex oppido Abrantes 25. Sept. 1507; — fol. 11—34. Pseudo-Aethici Cosmographia, apographum cod. Vindob. 181. Cuspiniani manu scriptum; — fol. 35—72. Antonini Itinerarium; — fol. 76—206. Remigii Antisiodorensis Glossae in Marcianum Capellam „de nuptiis philologiae et Mercurii“ [176]).

II.

CODICES ORDINIS SECVNDI V.

B. 1. Cod. Parisiensis Biblioth. Nation. 4807. olim Conradi Celtis, saeculo IX. exeunt. [177]) exaratus, mbranac. foliorum 58.

Insunt: Pseudo-Aethici Cosmographia, quae incipit: IN . NOMINE . DEI . SVMMI . INCIPIT . COSMOGRAPHIA . FELICITER . CVM . ITINERARIIS . SVIS . ET . PORTIBVS . ET . EX . FASTIBVS . ROMANORVM . ET . CONSVLVM . NOMINIBVS . ET . DIVERSIS . SINE . QVO . NEMO . PRVDENTIVM .

176) cfr. Catalog. Codicum Philologicorum latinorum Bibliothec. Palatin. Vindobonensis digess. Stephanus Endlicher. Vindobonae 1836. 4°. pag. 230.

177) Sic scribendum cum Pindero (Itinerar. Antonini ed. Parthey et Pinder etc. pag. XIII.); D'Avezacius l. c. pag. 293. saec. X. scribi vult.

ESSE . POTEST. „Lectionum pervigili cura“ etc.; — Itinerar. Antonini.

Codex exscriptus est ex Vindobonens. 181. sed ita, ut Didymi nomen inde exciderit, quod vitium deinde ex hoc codice in reliquos tertiae recensionis libros omnes propagatum est. De libro nostro vide Carolum Du Cangium [178]) et D'Avezacium [179]). Qui autem sequuntur huius ordinis libri quatuor codicis Parisiensis citra dubium sunt apographa; quorum vetustissimus est:

B. 1. a. 1. Cod. Florentinus Laurentianus, plut. 89. sup. cod. 67. antea Gaddianus, numero 919. antiquitus designatus, saec. X. mbranac. 4°. foliorum 37, optime servatus. (cfr. Bandini VI. (lat. III.) pag. 324—330.)

Insunt: Pseudo-Aethici Cosmographia, quae incipit: „Descriptiones terrarum et aquarum a Romanis scriptarum. Incipit Ortograφia. Lectionum pervigili cura comperimus“ etc.; — Itinerarium Antonini integrum; — Septem montes et aquarum ductus; — Regiones urbis Romae; — Breviarium urbis Romae.

Hunc exscriptum esse ex codice proxime antecedenti ea ex re patet, quod Didymum omisit, et quod reliquis qui idem vitium exhibent codicibus longe antiquior est; nostrum autem libri Spirensis iam deperditi librario ante oculos fuisse, opusculorum series et Cosmographiae in utroque tituli ostendunt.

B. 1. a. 2. Cod. Guelferbytanus, Misc. in quarto, 61. Helmstadiensis 585. saec. XV. chartaceus, negligenter scriptus, foliorum 28. ex tribus partibus compositus, quarum prima fol. 1—14. amplectitur; fol. 15. desideratur. Sequitur fol. 16—21. med. Pseudo-Aethici Cosmographia quae incipit: „In nomine Dei summi. Inci-

178) Constantinopolis Christiana. Lutetiae Paris. 1680. fol. liber I, pag. 62. nro. XX.

179) l. c. pag. 298. sq.

B. 1. c. Cod. Monacensis Aug. Ies. 14. chartaceus, anni 1514. negligenter scriptus, in folio. Fuit Conradi Peutingeri, postea Iesuitarum Augustanorum.

Insunt: fol. 1. recto. Pseudo-Aethici Cosmographia, ita: „Inc. Cosmographia feliciter cum Itinerariis suis et portibus et ex fastibus Romanorum et. Consulum nominibus et diversis sine quo nemo prudentium esse potest. Lectionum" etc.; — Itinerarium Antonini.

Huius codicis apographum debemus humanitati Pauli Roth, Professor. Marburgensis. Qui quidem liber, quum neque Florentini neque codicis Remensis apographum esse possit: iam sequitur ex fonte natum fuisse Parisiensi codice. Florentini enim libri apographum non est ob titulum, Remensis vero eam praeterea ob causam, quia plane omittitur Pomponius Mela. Optime autem consentit cum Parisiensi codice, cui etiam hac in re conformis est, quod Cosmographiam solum cum Itinerario Antonini exhibet.

III.

CODICES ORDINIS TERTII II.

B. 1. b. 1. Cod. Vaticanus Ottobonianus 643. saec. XV. mbranaceus.

. Insunt: Eusebius; — Hieronymus; — Pseudo-Aethici Cosmographia, quae incipit: INCIPIT COSMOGRAPHIA CVM ITINERARIIS SVIS. „Lectionum etc. ..... Hae sunt ab Helesponto usque ad Oceanum per totum magnum pelagus famosae . quae et cultu et magnitudine celebres habentur". EXPLICIT.

Huius libri partem nostrum in usum excerpsit Ludov. Bethmann. Ad verbum fere consentit cum proxime sequenti libro, ita ut alterum ex altero exscriptum esse neminem

effugiat[183]). Hunc nostrum autem Veneti archetypum fuisse ex eo apparet, quod ipse quidem „Nocodoxo" scripsit, Marcianus vero lapsu calami „Cendoxo". Quare fallitur, ut saepius, D'Avezacius qui l. c. pag. 301. init. Venetos codices ad alium, scilic. Paris. Supplem. Lat. 671. saec. XV. reducendos esse dicit.

B. 1. b. 1*. Cod. Venetus Marcianus 389, olim Bessarionis, membranaceus fol. saec. XV.

Insunt: Pompon. Mela; — Solinus; — Pseudo-Aethici Cosmographia, quae incipit: INC . COSMOGRAPHIA . CVM . ITINERARIIS . SVIS. „Lectionum etc. .... Hae sunt ab Helesponto usque ad Oceanum per totum magnum pelagus famosae . quae et cultu et magnitudine celebres habentur". EXPLICIT.

Huius codicis partem nobis excerpsit Lud. Bethmann; exscriptus est et proxime antecedenti, h. e. Vaticano Ottoboniano signato 643.

Itaque codices familiae B. in hunc modum cohaerere videntur. (cfr. infra pag. 62.)

183) Cod. Ottobonianus exscriptus est, ut videtur, ex codice Remensi.

rii primis verbis ex archetypo exciderant, — quod ante saeculum XV. videtur accidisse — hos septem libros ordini secundo assignavimus. Ex eorum vero numero priores III. quum eadem quae Spirensis codex scripta habeant, ab aliis quatuor segregandi sunt, qui seriem illam negligentes et nova alio fonte hausta addunt, nec non alia plane praetermittunt.

Tertiam denique constituunt classem libri manuscripti tres, qui amissa iamiam codicis Spirensis parte altera confecti sunt; iisque alium codicem adiecimus qui, quamvis ex Spirensi libro non exortus videatur, tamen cum alio nullo arctiore cognatione est coniunctus.

Restat ut pauca afferamus de tempore quo vetus ille liber exaratus sit.

Et primo quidem certum est, conscribi eum non potuisse ante annum 825, quum illo anno Dicuilus opus suum in Hibernia composuerit: deinde vero si codicem Dresdensem, de quo infra disputabitur, ex libro nostro haustum esse credimus, haud sane decimo saeculo exeunte recentior fuit. Sed fortasse codicis aetatem accuratius definire possumus. Quum enim exaratus sit Spirensis liber ad exemplar codicum qui fam. B. secundum ordinem constituunt, id quod evidenter demonstratum est, duo tantum libri hoc loco memorandi sunt, Parisiensis scilicet 4807. saec. IX. exeunt. et Florentinus Laurentianus saec. X. Horum vero alter nullo modo cum Spirensi nostro videtur cohaerere, alter optime. Nam Florentinus codex eandem fere atque noster Cosmographiae inscriptionem habet, deinde autem priorem partem continet Spirensis libri. Quare equidem ex Laurentiano codice exscriptum fuisse illum coniiciemus, ita ut Spirensis liber saeculo decimo antiquior esse nullo modo possit.

Iam vero ad ipsos huius familiae manuscriptos libros transeamus.

I.

CODICES ORDINIS PRIMI TRES.

C. Codex Spirensis saec. X. iam deperditus. Eum Spira Basileam allatum fuisse anno 1436. testantur Canonicianus et Monacensis 99.; Spirae fuisse medio saec. XVI. patet e Monacensi 291. Frustra ibi quaesitus est ab Nicolao Heinsio a. 1672.

Series opusculorum quae Spirensi codice continebantur in duas partes dividitur; sunt autem hae:

I. Pseudo-Aethici Cosmographia; — Itinerarium Antonini, cui adhaerent: „Septem montes" et „Nomina aquarum"; — Dicuil; — Annotationes provinciarum; — De montibus, portis et viis Romae.

II. De rebus bellicis (cum XI. tractatibus); — Altercatio Hadriani; — Descriptio Romae et Constantinopolis; — De gradibus cognationum; — Notitia dignitatum orientis et occidentis.

Anni quibus Spirensis codex exscriptus est, nobis innotuerunt hi:

1427. ex Neapolitano Suritae
1436. ex Canoniciano et Monacensi 99.
1484. ex fine Vindobonensium 3102. ct 3103.
1529. ex initio Vindobonensis 3102.
1542—1551. ex Monacensi 291.

C. 1. Cod. Matritensis Q, 129. Regius, Biblioth. Nation. saec. XIV. ex. vel XV. mbranac. forma maiori.

Insunt: fol. 1. Pseudo-Aethici Cosmographia, ita: Inc. Situs et descriptio orbis terrarum. „Lectionum" etc.; — fol 15. Itinerar. terrestre Antonini Augusti; — fol. 45. Itinerar. maritimum Antonini Augusti; — Septem montes urbis Romae; — Aquarum ductus; — fol. 48. Dicuil; — fol. 64. Annunciationes provinciarum; —

fol. 68. De rebus bellicis anonymi tractatus; — fol. 79. Altercatio Hadriani Aug. et Epicteti philosophi; — fol. 81. Descriptio urbis Romae; — fol. 84. Descriptio urbis Constantinopolis; — fol. 87. De gradibus cognationum; — fol. 88. Noticia dignitatum Orientis; — fol. 131. Noticia dignitatum Occidentis; — fol. 166. Demensuratio provinciarum . que non erat in praecedenti codice sed de antiquissimo libro excerpta.

C. 1*. Cod. Florentinus Laurentianus, plut. 89. Cod. 68. antea Gaddianus 913. saec. XV. chartac. 4°. foliorum 77.

Insunt: De rebus bellicis; — Descriptio Constantinopolis; — De gradibus cognationum; — Pseudo-Aethici Cosmographia; — Itinerarium Antonini; — Septem montes; — Dicuil; — Demonstratio provinciarum quae non erat in praecedenti codice, sed de antiquissimo libro excerpta.

II.

CODICES ORDINIS SECVNDI SEPTEM.

Matritensis igitur et Laurentianus codex Spirensem ita sunt secuti, ut alter opusculorum ordine servato his adiectam habeat „Provinciarum Demensurationem" quam in exemplari scriba non invenerat; alter autem partium codicis Spirensis ordine mutato, opuscula nonnulla praetermiserit. Iam quae sequuntur libri eius veteris apographa in eo plane omnia consentiunt, quod extrema Cosmographiae Itinerarii vero prima verba desiderantur. Quare statuendum est, in Spirensi etiam tempore incerto easdem partes casu quodam deletas fuisse. In hisce autem verbis haerent: „[Insula Corsica] in lato millia XXVI. [184]", et pergunt: „rationem quod Mercurius dicitur" etc. [185]

184) cfr. Gronov. pag. 733.

185) cfr. Itinerar. Anton. ed. Parthey et Pinder pag. 2. init.

Quod quum omnibus commune vitium sit tamen, ut in reliquis diversi, pro natura sua ita libri collocandi sunt, ut in tres potissimum abire partes videantur.

Etenim cod. Parisiensis Suppl. lat. 671, Monacensis 291, Romanus Barberinus, eadem fere complectuntur quae archetypum; quibus Canonicianus atque Monacensis 99. opuscula duo adiecerunt. Vindobonenses autem libri (3102 et 3103) et nonnulla quae in codice Spirensi legebantur omittunt, nec non alia atque nova addunt.

A.

CODICES CLASSIS PRIMAE III.

C. 2. Cod. Parisiensis Bibl. Nat. Suppl. lat. 671. antea Lamoinianus K. saec. XV. exaratus, mbranac. foliorum 146. Insunt eadem opuscula quae Spirensis olim continebat. Vide Parthey et Pinder l. c. pag. XXIII.

C. 3. Cod. Monacensis 291. antea Palatinus, cod. latin. 10291. conscriptus intra annos 1542. et 1551. mbranac. foliorum 222. In primo folio legitur: „Hic liber, cui titulus Itinerarium Antonini, ad verum atque archetypum exemplar descriptus, Illmo Principi ac dno dno Othoni Henrico, Comiti Palatino Rheni, utriusque Bavariae duci etc. tanq. antiquitatis amatori atque indagatori studiosissimo, a venerabilibus et honestis Cathedralis Ecclesiae Spirensis Decano atque Canonico Dono missus est“ etc. De eo cfr. Parthey et Pinder l. c. pag. XXIII. et Föringer „Bayerische Annalen“ 1835. nro. 61. pag. 502—508. sqq. [186])

C. 3*. Cod. Romanus Barberinus 809. saec. XVI. mbranac. forma maxima. Huius partem nobis excerpsit Lud. Bethmann, convenit cum proxime antecedenti, cuius apographum est. De eo videndi sunt Parthey et Pinder l. c. pag. XXV.

186) Huius codicis apographum debeo V. Cl. Paulo Roth.

B.

CODICES CLASSIS SECVNDAE II.

C. 4. Cod. Canonicianus, i. e. Matthaei Aloysii Canonici, saec. XV. mbran. in folio. In fine Notitiae Dignitatum legitur: „Exemplata est haec Cosmographia 1436" etc. (vide Morelli pag. 390.)

Insunt praeter opuscula ea, quae in cod. Spirensi continebantur: „Demensuratio provinciarum"; — ab alia manu: „Cyriaci Anconitani de septem mundi spectaculis ex Gregorio Nazianzeno gr. et lat. scriptum; quod sibi missum Petrus Donatus ut adiiceretur curavit" [187]).

Hunc codicem a. 1846. in Bibliotheca Mediomontana [188]) ipsi evolvimus [189]). Manu nitidissima conscriptus et multis imaginibus ornatus est [190]).

C. 4*. Cod. Monacensis 99. cod. latin. 794. antea Victorianus, anni 1436. mbranac. paginarum 345. Huius cod. apographum nobis concessit V. Cl. H. Föringer.

Initio legitur a valde recenti manu: „Notitia dignitatum utriusque Imperii, Orientis scilic. et Occidentis. ex altero codice Spirensis Bibliothecae exscripta anno dni 1436."

Insunt eadem ac in cod. Canoniciano [191]), sed una eademque manu exarata; quare exscriptum fuisse hunc codicem ex Canoniciano sequitur. Quam rem ita se habere inde etiam colligi potest, quod verbis illis: „Exemplata est haec Cosmographia etc." librarii manu, sed extinctis fere litteris, superscripta leguntur: „Haec quoque in exemplaris fine reperi". cfr. Föringerum l. c. [192]) et Böcking. l. c. p. 11. sqq.

---

187) cfr. Böcking „Ueber die Notitia Dignitatum". Bonn 1834. 8°. pag. 16, Note 1.

188) Middlehill in Britannia in comitatu Worcestershire.

189) Antea cum reliquis Canonici libris Venetiis Oxoniam codex translatus est, qua de re cfr. Blume, Iter Italicum tom. I. Berolin. 1824. 8°. p. 235. in.

190) De hoc libro cfr. Parthey et Pinder, l. c. pag. XXVI. sq.

191) cfr. Parthey et Pinder, l. c. pag. XXIV.

192) „Bayerische Annalen" etc. pag. 339.

C.

CODICES CLASSIS TERTIAE III.

C. 5. Cod. Vindobonensis Caesareus 3102, Salisb. 18^b. (Endlichero CCCXXXI.) forma maxima, anno 1529. exaratus, chartaceus, foliorum 108.

Insunt: fol. 1—11. Pseudo-Aethici Cosmographia; — Itinerar. Antonini; — Septem montes; — Dicuil; — Annunciationes provinciarum; — Excerpta e P. Victore; — De rebus bellicis; — Altercatio Hadriani; — P. Victor, de XIV. regionibus urbis Romae; — Descriptio Constantinopolis; — Notitia dignitatum, cuius in calce „Anno Domini 1484".

Cfr. Endlicheri catalog. codicum philologic. latin. Biblioth. Palatin. Vindobonensis. Vindobonae 1836. 4°. p. 231. et Itiner. Anton. ed. Parthey et Pinder pag. XXV.

C. 5*. Cod. Vindobonensis Caesareus 3103. Salisb. 18^c. (Endlichero CCCXXXII.) saec. XVI. exaratus, chartaceus, forma maxima, folior. 108.

Eadem continet quae proxime antecedens (Pseudo-Aethici Cosmograph. fol. 1—10.) cuius apographum est. De eo cfr. Endlicherum l. c. pag. 232. et Parthey et Pinder, l. c. pag. XXVI.

III.

CODICES ORDINIS TERTII DVO.

C. 6. Codex Venetus Marcianus, signatus X, 88. olim Ambrosii Contareni, postea Thom. Jos. Farsetii, saec. XV. exaratus, mbranac. in folio.

Insunt: Pseudo-Aethici Cosmographia; — Itinerarium Antonini; — Septem montes; — Dicuil; — Annunciationes provinciarum; — De montibus etc. urbis Romae.

Huius codicis partem nobis excerpsit Ludov. Bethmann. De eo cfr. Itinerarium Antonini ed. Parthey et Pinder pag. XXVI.

C. 6*. Cod. Monacensis Aug. Ies. 13. cod. latin. 4103. chartaceus in fol. paginarum 68. saecul. XVI.

Huius libri apographum debemus V. Cl. Paulo Roth. Eadem continet quae proxime antecedens, cuius apographum est. cfr. Parthey et Pinder l. c. pag. XXV.

IV.

RELIQVI CODICES DVO.

1. Ex codice Spirensi ortus est denique Neapolitanus liber, cuius meminit in editione Itinerarii Antonini pag. 174. Hieronymus Surita his verbis „codex bibliothecae Neapolitanorum regum, qui postea Cardinalis de Ursinis fuit, anno 1427. exscriptus". Eum ordinis secundi libris eam ob causam adnumerabimus, quod extrema Cosmographiae verba una cum primis Itinerarii omisit. Ubi nunc lateat ignoramus.

Cfr. Pinder et Parthey, l. c. pag. XXVII.

2. Cum Spirensium codicum familia summopere cohaeret, ita ut fortasse ex ipso codice Spirensi ortus sit:

Cod. Dresdensis Bibl. Regiae, D. 182, antea Remensis Sanctae Mariae. mbranac. foliis 135. Compactus est ex duobus codicibus, quorum prior circa annum millesimum scriptus, foliis 1—62. continet:

fol. 1'—15. Pseudo-Aethici Cosmographiam, quae omisso titulo incipit: „Lectionum pervigili cura ..... domina senatus". EXPLICIT; — fol. 15'—50. INC. ITINERARIVM. PROV. ANTONII. AVGVSTI. etc.; — fol. 50'—62'. Dicuilum.

Pars altera foliis 63—135. exhibet Vegetium „de re militari".

Codex prior folio primo recto inscriptus est: „De quatuor partibus mundi"; eodem folio verso in summa pagina scriptum: „Ragenerus praepositus dedit Sanctae Mariae Remensi", ac singuli quaterniones in imis paginis signati

sunt: „Sanctae Mariae Remensis". cfr. Parthey et Pinder l. c. pag. XVIII. qui accuratissimum codicis apographum benigniter nobis concesserunt.

§. 12.

RELIQVI CODICES XXI.

Iam vero XXI. codices supersunt et librorum quidem superiorum ordinum conformes nulli, nisi quod Didymus omissus est in omnibus, ita ut vetus ille Parisiensis, etsi non recta via, horum fons habendus sit. Quod autem in iis accidit quos supra commemoravimus, ut et titulo aliisque signis definiri possit, cui potissimum familiae assignandi sint: hoc in reliquis ut minus in aperto esse videatur eo factum est, quod eiusmodi indiciis longe maior eorum pars omnino caret, et quia ex tanto numero librorum pauci accuratius nobis sunt comperti.

Ceterum si recte instituta sunt quae hucusque de familiis codicum attulimus, facile apparet nullam esse reliquorum codicum auctoritatem, nec ullum fructum inde Cosmographiae editori posse percipi. Quae quamvis ita se habeant, placebit tamen singulos enumerare; et ita quidem hac in re versabimus, ut eos libros uno loco complectamur, qui cognatione quadam cohaerere nobis visi sunt.

I.

Quare primum locum obtinebunt libri manuscripti illi, qui Vindobonensis partem solum exhibent; quorum praetermisso Antonini Itinerario duo Cosmographiam tantum et Orosii Geographiam conservarunt, duo vero Orosium quoque missum faciunt. Sunt autem codices hi.

1. Cod. Neapolitanus Borbonicus signat. IV, D. 21, mbranac. forma octava, nitidissime conscriptus manu saec. XII. exeunt. In primo folio legitur „Iani Parrhasii et amicorum. Mediolani emptus argenteis quinque". Codex ex tribus partibus compactus, quarum prior continet:

II.

CODICES QVI „AETHICI“ NOMEN PRAEFERVNT III.

Secundo loco libri illi recensendi sunt, qui Cosmographiam Aethico ascribunt: qui quamvis saeculo XII. antiquiores non sint, tamen ingentis hominum doctissimorum sententiarum confusionis causa extiterunt et origo. Quaeret igitur quispiam quonam modo factum sit, ut Aethicum auctorem praedicti libri praeferant? Quod inde ortum esse credimus, quia Cosmographia nostra in iisdem libris saepius verum Ethicum sequuta est, ita ut librarii facile utrumque opus Ethico tribuerent. Id autem eo facilius poterat accidere, quod Cosmographia in plerisque manuscriptis, sicut vidimus, auctorem nullum exhibet; deinde vero si in uno alterove codice, nullo spatio intermisso, Ethicum ab Hieronymo translatum anonyma Iulii Honorii Oratoris Cosmographia, aut si hanc ipsam Ethicus, exciperet — idque ita se habere in Parisiensi 4871. docet D'Avezacius[195]): Ethicus autem Cosmographiam sequebatur in codice Augiensi quem supra[196]) laudavimus — tum nomen Ethici in Cosmographiam quoque translatum fuisse ne sine auctore esse videretur quis est quin libenter credat? Qua in re nullius est momenti, quod frustra toties iactitant qui pro Ethico auctore Cosmographiae pugnaverunt, ad Ethicum reduci librum nostrum a Flodoardo[197]) et Hugone Flaviniacensis monasterii abbate[198]). Hoc tantum ea ex re colligendum

---

D'Achery, presbyteri ac monachi Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri. Nova Editio tom. II. Parisiis 1723. fol. pag. 291. sqq. [Editionis prioris tom. I, pag. 419. sqq.] ubi videndus est liber III. cap. 3. pag. 311. B.

195) pag. 294. sed vide quae nos supra adnotavimus pag. 37. med.

196) pag. 35. sq.

197) In historia ecclesiastica Remensi ed. Colvenerius. Duaci 1617. 8°. lib. I, cap. 1. pag. 4.

198) cfr. Pertz, Monumenta Germaniae Historica, Scriptor. tom. VIII, pag. 291. vers. 36. sqq.

erit, volvisse illos viros librum fere eiusmodi quales ii sunt de quibus infra disputabimus. Illud quoque notandum est sequi, ut decimo iam saeculo errorem istum ortum fuisse concedamus, qui deinde codices nonnullos deformavit. Fortasse autem idem error ex ipso Flodardo natus est, ita ut monachos qui Iulii Honorii Cosmographiam in Gallia descripserunt et qui historiam ecclesiasticam Flodoardi sine dubio legerant, auctoritate talis viri permotos fuisse credamus, ut Cosmographiam Ethico inscriberent. Quam rem ita factam esse eo facilius persuademur, quod ex tribus huius generis codicibus duo saltem in Gallia exarati sunt: tertius vero, Isaaci Vossii quondam anglicus, in Britanniam forsitan ex Gallia olim eodem modo est deductus, quo ex Anglia postea Lugdunum Batavorum venit.

Sunt igitur, de quibus agimus, libri manuscripti hi.

1. Cod. Parisiensis 4808. olim Moissiacensis, deinde Pithouanus, tum Thuaneus, tum Colbertinus 2565. mbranac. non una manu scriptus.

Inest praeter alia multa[199]), manu saec. XII. conscript. Pseudo-Aethici Cosmographia; — Itinerarium Antonini.

Idem liber est ex quo omnes Cosmographiae editiones ortae sunt; in margine codicis variae lectiones codicis Cuiacii adnotatae sunt[200]). Archetypum fuit, ut videtur, duorum codicum sequentium.

1. a. Cod. Berolinensis, Manuscr. Latin. in folio 359. antea Laetiensis, quem habuit Le Beau, Praeses Regius. saec. XII. membranac. nitidissime exaratus, foliorum 135.

Insunt: fol. 2. rect. Orosii historiarum libri VII; — fol. 105': INCIPIT . COSMOGRAFIA . AETTICI. „Lectionum ..... [fol. 109. rect.] quae nec colligi numero nec

199) cfr. supra pag. 21.

200) cfr. D'Avezacium l. c. pag. 296. extr.

existimari aut comprehendi pro interiacentibus heremis possint". EXPLICIT. COSMOGRAFIA. ATTICI (sic!) ID. EST . MVNDI . DESCRIPTIO; — fol. 109. verso. Iordanis historia Getarum.

Fol. 1. et 135. vacua remanserunt. Librarius hanc ob causam Orosii descriptionem omisisse videtur, quod eam a secundo capite Orosii, qui in hoc codice Cosmographiam antecedit, diversam non esse perspexit. Codicem ipsi excussimus.

1. b. Cod. Lugdun. Batavus, Vossianus, MS. lat. in folio, 60. saec. XIII. ineunt. mbranac. foliorum 29. Scriptura elegans est et accurata.

Insunt: fol. 1. AETHICI Cosmographia incipit. „Lectionum ... quae caput orbis est . et domina senatus". — fol. 17. init. Itinerarium Antonii Augusti provintiae Africae.

Hunc librum ipsi excussimus: eum (signatum 2351, 26.) laudant „Catalogi librorum MSS. Angliae et Hiberniae in unum collecti" etc. Oxoniae 1697. fol. tom. II, pag. 63. A. et Montefalconius in Bibliotheca Bibliothecarum tom. I, pag. 678. D. colum. 1.

Horum numero fortasse adiungendus est:

2. Cod. Cantabrigiensis, Trinity O, IV, 36. olim Gale 64. in fol. mbranaceus. saecul. XI. exeunt. una manu conscriptus.

Insunt: Pseudo-Aethici Cosmographia; — Iordanis, de origine Gothorum; — Antonini Itinerarium.

Hunc codicem ob seriem opusculorum quae in eo reperiuntur cum Berolinensi affinitate coniunctum esse credimus. cfr. etiam Pertz, Archiv etc. tom. VII, pag. 86.

III.

Iulii Honorii Cosmographiam non Aethico ascribit, ut codices quos modo enumeravimus, sed grammatico Prisciano:

Cod. Parisiensis Bibl. Nation. 4126. olim signatus 3896. antea Colbertin. 3120. saeculi XIV. mbranac. in folio.

Insunt: Triginta et unus tractatus varii argumenti (cfr. Aniceti Meloti Catalog. tom. III, 4126.) in quibus Pseudo-Aethici Cosmographia quae explicit: „vel numerum gentium commanentium“ [201]); — Insularium quod in fine Itinerarii Antonini maritimi reperitur.

In fine primae libri nostri paginae scriptum est: „Gulielmus Cecilius mil: D^s de Burghley“ [202]). Cum hoc codice ea in re consentiunt quod Insularium Cosmographiae adiectum exhibent codices duo, qui tamen uno volumine comprehenduntur, scilicet:

Cod. Parisiensi 4840. Baluziano antea, in quarto. chartac. saec. XV.

Uterque Cosmographiae liber post verba: „et domina senatus“ nullo spatio interiecto Insularium exhibet, cui additur opusculum „De Septem montibus urbis Romae“. Ita autem omnibus in rebus consentiunt, ut ex uno eodemque fonte emanasse videantur [203]).

IV.

Ex toto deinde codicum qui restant numero, sunt autem IX, hoc loco quatuor comprehendimus de quibus certi quidquam affirmari potest.

1. Cod. Parisiensis 4806. saeculi X. mbranac. foliorum 42.

Insunt: Pseudo-Aethici Cosmographia initio mutilatà; — Itinerar. Antonini; — Carmen de Ecclesiae Romanae amplitudine; — Epitaphia Leonis IX. et Hen-

201) cfr. Gronov. pag. 724.

202) cfr. Itinerar. Anton. ed. Parthey et Pinder pag. XIV. et D'Avezacium l. c. pag. 295.

203) cfr. D'Avezacium l. c. pag. 296.

rici III; — Dicuil; — Fulberti rhythmus; — Epitaphium Guidonis.

Exciderunt quum in reliquis tum in Cosmographia folia nonnulla. Si Claud. Salmasio credimus, codex noster affinitate quadam cum libro Parisiensi 4807. saec. IX. coniunctus est[204]). Fortasse idem est quem, signatum 5203, in Biblioth. Bibliothec. tom. II, pag. 755. C. column. 2. laudat Montefalconius. De eo cfr. Itinerar. Anton. ed. Parthey et Pinder pag. XII.

2. Deinde vero Londini in Museo Britannico nonnulla folia asservantur (Bibliotheca Egerton 268. mbranac. in quarto[205]).) quae saeculo IX. exeunte exarata, locos quosdam Pseudo-Aethici et Itinerarii Antonini exhibent. Quorum tamen ea saltem, quae ex Itinerario sumpta sunt, ex cod. Parisiensi 4807. evulsa esse videntur[206]); quae autem ad Cosmographiam nostram pertinent, in omnibus fere lectionibus[207]) cum Gronovianae editionis paginis consentiunt his: pag. 715. 716. 722. 723. 728—730.

3. Codex quo utebatur Albertus Magnus[208]).

Hunc tertiae recensionis librum fuisse ex multis apparet. Primum enim titulum habet: „Orbis descriptio [facta a senatu Romano et Augusto Caesare“][209]) aut: „Descriptio [Augusti“][210]). Deinde vero, ut in omnibus huius recensionis libris, oceani meridiani gentes plane omittuntur[211]).

---

204) cfr. Exercitatt. Plinian. pag. 113.D.

205) cfr. Pertz, Archiv etc. IX, pag. 493.

206) cfr. Itin. Anton. ed. Parthey et Pinder pag. XIII.

207) cfr. Petersen l. c. pag. 170.

208) cfr. Alberti Magni etc. Opera recogn. P. Iammy. tom. V, librum de natura locorum, tractatum III. cap. I—IX. pag. 282—292.

209) cfr. Alberti Magni Opera l. c. pag. 288.B.

210) cfr. Alberti Magni Opera l. c. pag. 286.B.

211) cfr. l. c. pag. 288.B. „Haec etiam quarta habet gentes innumerabiles, quae numero vix colligi possunt: quia perscrutari non possunt

Denique non solum Didymum omittit[212]), verum etiam finem facit in verbis „Hae sunt insulae ab Hellesponto usque ad Occeanum per totum altum pelagus famosae, quae intellectu et magnitudine celebres habentur“ [213]).

Consentit autem Alberti codex cum editione Gronoviana, h. e. cum codice Parisiensi 4808. saec. XII. quum ceteris in rebus, tum eo potissimum quod Hermunam fluvium omittit[214]); sed cum cod. Vindobonensi 181, Dresdensi, Lugd. Batav. Vossian. 60. locum alium omittit: „A fonte fluminis Gangis ..... per litus Cimmerici maris, quod est ab Aphrico usque“ [215]). Quare horum nullo Albertus utebatur. Tamen cum cod. Lugd. Batavo Vossiano arctius eius liber est coniunctus quam cum Parisiensi 4808; sed codicis lectiones ita depravatae sunt apud Albertum, ut Cosmographiae editori plane negligendae sint, quum nullus ex iis fructus possit percipi. Accedit quod Albertus Magnus in transscribendo libro ita versatus est, ut codicis lectiones pro arbitrio immutaret; quin etiam non semel atque raro sed passim de suo multa addidit. Quare miror Christianum Petersen in talem sententiam nuper aberrasse, ut quae Albertus Magnus ipse affinxit, ea omnia scripta eum invenisse in archetypo putaverit. Hac deinde ex re sequi idem opinatur melioris notae codicem Alberto affuisse atque ii sunt, quos supra adnotavimus![216])

At vero Albertus ipse claris et expressis verbis dicit, se librum illum non tam ad verbum descripsisse quam po-

---

propter vastos eremos interiacentes: sed a provinciis supra nominatis quaedam vocantur citra Aquilonem existentes, aliae multo plures ignorantur“.

212) cfr. l. c. pag. 284: „Policletus autem sapiens Meridionales descripsit partes, Occidentales autem per itineraria sua Romani sciverunt: eo quod in Occidente praecipue erant dominia et viae eorum“.

213) Albert. Magn. pag. 292.B. cfr. Gronov. pag. 732.

214) cfr. Gronov. pag. 720. init.

215) cfr. Gronov. pag. 726. extr. 727. init.

216) cfr. Petersen l. c. pag. 164. init. 179. extr. sqq.

tius fuisse imitatum. Scribit enim[217]): „Volumus autem in hac descriptione praecipue imitari descriptionem, quae facta est ab Augusto Caesare“ sqq. Quare equidem Albertum silentio omisissem, ni his et talibus innixus argumentis Chr. Petersen de Iulii Oratoris Cosmographia opinionem edidisset, cui adsentiri nullo modo potest.

4. Neque minus contemnenda sunt quae in Dialogo de Nobilitate et Rusticitate scribit saeculi XV. auctor Felix Malleolus, quem toties temere sequutus est Christianus Petersen. Libro enim utebatur Malleolus eodem fere ac Albertus, et hunc ipsum quoque ante oculos habebat; inscriptionem vero Cosmographiae talem exhibet: „Itinerarium Iulii Caesaris“ vel „Cosmographia Iulii Imperatoris et Octaviani Augusti“ vel „Itinerarium urbis Romae“. Quare in codice Malleoli inerant: Pseudo-Aethici Cosmographia et Itinerarium Antonini; neque aliis locis non probatur infuisse etiam „Mirabilia Romae“ [218]).

Sed Malleolus, quum magis etiam quam Albertus verba Iulii Oratoris immutaverit, ita ut aliunde multa quoque immiscuerit — id quod ne ipsum quidem Christ. Petersen effugit [219]) — minus etiam atque ille respiciendus erit. Ex huius igitur auctoris verbis quae colligi vult[220]) Christ. Petersen, ea nullis argumentis niti nemo non intelligit.

V.

Quare his iam relictis atque aliis multis ad reliquos codices quinque numero accedimus, de quibus nihil nisi nomen tantum afferre possumus. Sunt igitur libri manuscripti hi.

---

217) pag. 282.

218) cfr. Petersen l. c. pag. 380. sqq.

219) cfr. pag. 190. a. fin.

220) cfr. inter alia pag. 189. et quae hoc loco exponuntur conferas cum iis quae idem Petersen pag. 180. 191. 392. exposuit.

1. Cod. Colcestrensis (Colchester in Britannia) 271. Inest: „Cosmographia Aethici". Eum nobis indicavit V. Cl. Ludov. Bethmann.

2. Cod. D'Orvillianus.

Insunt: Itinerarium Antonini; — Pseudo-Aethici Cosmographia; — Notitiae Veteres. cfr. Petr. Wesseling „Vetera Romanorum Itineraria" etc. Amstelaedami 1735. 4°. praefat. et: Ed. Böcking „Ueber die Notitia Dignitatum". Bonn 1834. 8°. pag. 41. init.

3. Cod. Tornacensis Biblioth. Oppidan. membranac. in quarto. saec. XIII. exeunt. una manu conscriptus.

Insunt: De situ Britanniae; — Excerptum de prophetia Merlini; — Praeter alia deinde multa: „Ethici Cosmographia". cfr. Pertz, Archiv etc. VIII, 560. sq.

4. Cod. Wycestrensis, Ioann. Lelandi, 1538.

Insunt: „Cosmographia Ethici"; — Beda de arte metrica et de tropis, et alia. cfr. Ioann. Lelandi antiquarii, De rebus Britannicis Collectanea. 3 Voll. 8°. ubi vide tom. III, pag. 160. (Autographi pag. 268.)

5. Denique Montefalconius in Bibl. Bibliothecarum tom. II, pag. 755. C. column. 2. Cosmographiae codicem commemorat de quo certi nihil invenimus. Laudat enim l. c. Cod. Bibl. Reg. Parisiens. 5209. in quo inesse scribit: „Ethici geographiam; — Antonini Itinerarium; — Excerpta ex Plinio et Solino". Neque tamen codicum Parisiensium eorum qui nunc extant ullus „Excerpta ex Plinio et Solino" una cum Pseudo-Aethico et Antonini Itinerario exhibet.

§. 13.

DE SVBSIDIIS NOVAE EDITIONIS COSMOGRAPHIAE.

Haec sunt quae de Iulii Oratoris Cosmographia librorum ope adiuti indagavimus. Quare ut paucis hoc loco repetamus quid ex disputatione nostra maxime consequi

videatur, primum apparet tres fere Cosmographiae recensiones extitisse; deinde illud quoque demonstravimus, inspectis paullo accuratius manuscriptis libris facile cognosci, qua potissimum ratione recentiores duas ex priore editione ortas esse statuendum sit. Quae si recte instituta sunt, iam sequitur priorem tantum Cosmographiae partem opus esse Iulii Oratoris quem Parisiensis libri antiquissimi auctoritatem consequuti auctorem fuisse Cosmographiae credimus. Quam autem tertiae editionis codices cum hac coniungunt tripertitam orbis descriptionem, eam sive scriptam sive aliis fontibus depromptam ab Orosio concedendum est[220a]). Neque magis pertinet ad Iulii Honorii Cosmographiam Antonini sicut vocant Itinerarium; quae res quamvis optime nuper demonstrata sit a doctissimis viris Gustavo Parthey et Mauritio Pinder[221]), tamen his ipsis diebus a Christiano Petersen[222]) et D'Avezacio[223]) veris argumentis nullis denegata est.

Denique auctoris nomen si respicimus, ex iis quae a nobis supra disputata sunt colligitur, ad alium neminem

---

220a) Idem testantur Gennadius in catalogo virorum illustrium cap. 39. (cfr. Hieronymi Opera ed. Vallarsius tom. II, pag. 968.) et Iordanis in historia Gothorum cap. 1. initio (cfr. Muratori, SS. Rer. Italic. tom. I, pag. 191.); idem libri MSS. omnes qui Orosii geographiam separatim exhibent. Quorum hucusque nobis quinque pernotuerunt, scilicet: 1) Cod. Bibliothecae D'Albi 29. chartac. fol. min. foliorum 156. cfr. Catalogue général des MSS. des Bibliothèques publiques des Départements etc. tom. I. Paris, 1849. 4°. pag. 486. sq. — 2) Cod. Neapolit. Borbonicus IV, D. 21. saec. XIII. mbranac. Inest praeter alia: „De tribus partibus mundi Orosius. Maiores nostri" etc. cfr. supra pag. 72. — 3) Cod. Vatic. Palatin. 1357. saec. XIII. mbranac. Inest fol. 134¹: „Orosii prespiteri provinciarum descriptio. Maiores nostri" etc. cfr. supra pag. 38. — 4) Cod. Vratislaviensis Rehdigeri saec. XV. chartac. cfr. Petersen l. c. pag. 173. — 5) Cod. Vaticanus 1883. saec. XIV. Inest praeter alia: „Ratio totius orbis et provinciarum ab Orosio presbytero descripta". cfr. supra pag. 53.

221) Itiner. Anton. pag. V. VI. praefationis.

222) l. c. pag. 382—390.

223) l. c. pag. 395—408.

Cosmographiam esse reducendam, nisi ad Iulium Honorium Oratorem; Aethici vero nomen quod ex tam magno codicum manuscriptorum numero tres tantum libri in fronte gerunt, et quod errore illos subrepsisse demonstravimus, nuperrime auctori Cosmographiae a D'Avezacio vindicari quis est quin vehementer admiretur?

Quare quas inde ab initio quaestiones nobis proposuimus: scilicet ut hac priore disputationis parte inquiramus, num ad eundem auctorem quatuor illi libri reducendi sint quos ibi enumeravimus; Iulii Honorii scil. Cosmographia, Orosii descriptio orbis, Itinerarium Antonini, denique „Liber Ethici philosophi ab Hieronymo translatus": hae quomodo se habeant iam nemini non plane perspiciuntur. Itaque his nunc omissis ad verum Ethici libellum accedamus, si forsan eius conditioni pro virili nostra parte salutem quandam allaturi sumus.

Sed antequam ad nova transeamus hoc loco pauca de subsidiis nobis liceat adiicere quibus Cosmographiae editori insistendum erit. Qua in re, si vera sunt quae supra comprobare periclitati sumus, quum Cosmographiae tres existant recensiones quarum nulla alteri conformis est: sequitur ut omnes foras emittantur.

Et ad primam quidem emendandam uno tantum libro uti possumus: qui quum valde depravatus sit, necesse est ut meliorum secundae recensionis codicum lectionibus aperta eius vitia castigemus.

In secunda autem expolienda recensione quinque prioris ordinis codicibus potissimum utendum erit; neque tamen Scorialensis saeculi VIII. contemnendus est, quippe qui eundem fere ac praedicti fontem habeat. Reliquorum huius ordinis scripturas, ubi ab archetypi lectionibus abhorrent, in margine religiose adnotabimus.

At si tertiam Cosmographiae recensionem expurgare volumus, ne omnium codicum lectiones recensendae videantur ingenti horum numero efficitur. Quare eo potius nitendum nobis erit ut, singulorum ordinum adhibitis archetypis,

Vindobonensis libri antiquissimi qui huius recensionis fundamentum est non tam scripturas corrigamus: quam quomodo et auctae sint in illis et mutatae ostendamus.

Reliqui codices omnino negligendi sunt, sed ita tantum ut ea quibus maxime a ceteris abhorrent adnimadvertantur; nec tamen illis aut Albertus aut qui hunc exscripsit adiungendus est Malleolus. Quorum si nonnulla forte margini adscripserimus, id hanc ob causam fieri putetis velim, ut nihil his scriptoribus insulsius posse inveniri ipsi videatis.

Ceterum haec hactenus. Quid enim codicum auctoritate adiutus ad emendandam Cosmographiam meis viribus profecerim, Divina gratia annuente mox ii iudicabunt quibus talia cordi sunt. Iam vero transeo ad alteram disquisitionis partem: in qua, quod quidem huius caput est opusculi, de eo libro disputabimus quem unum umquam Ethicus conscripsit, et quem translatum simul et servatum nobis esse a Sancto Hieronymo accepimus.

INDEX LIBRORVM.

1. Codex Alberti Magni pag. 78.
2. „ Augiensis saec. IX. init.? pag. 35.
3. „ Berolinensis s. XII. pag. 75.
4. „ Canonicianus s. XV. pag. 68.
5. „ Cantabrigiensis s. XI. ex. pag. 76.
6. „ Cassiodori pag. 22.
7. „ Centulensis s. IX. in? pag. 73.
8. „ Colcestrensis 271. pag. 81.
9. „ Cuiacii pag. 73.
10. „ Dicuili pag. 40.
11. „ Dresdensis anni 1000. pag. 70.
12. „ Florentinus Laurent. plut. 89. cod. 67. s. X. pag. 57.
13. „ „ „ plut. 89. cod. 68. s. XV. pag. 66.
14. „ Guelferbytanus s. XV. pag. 57.
15.16. „ Hannoveranus s. XV. pag. 55.
17. „ Havniensis 357. pag. 33.
18. „ Londinensis, Mus. Britann. Bibl. Egerton 268. s. IX. ex. pag. 78.
19. „ Lugd. Batav. Vossianus Lat. in fol. 60. s. XIII. pag. 76.
20. „ Felicis Malleoli pag. 80.
21. „ Matritensis Q, 129. s. XIV. exeunt. pag. 65.
22. „ Monacensis Aug. Ies. 13. s. XVI. pag. 70.
23. „ „ Aug. Ies. 14. anni 1514. pag. 60.
24. „ „ Aug. Ies. 14^e. s. XV. pag. 39.
25. „ „ 99. (Victorianus) anni 1436. pag. 68.
26. „ „ 291. (antea Palatinus) annorum 1542—1551. p. 67.
27. „ Neapolitanus Borbonicus IV. D, 21. s. XII. exeunt. pag. 71.
28. „ „ „ IV. D, 22. s. XV. pag. 48.
29. „ „ Suritae anni 1427. pag. 70.
30. „ D'Orvillianus pag. 81.

31. Codex Parisiensis Bibl. Nation. Suppl. Latin. 671. (Lamoinianus) s. XV. pag. 67.
32. „ „ „ „ Suppl. Latin. 685. s. IX. pag. 31.
33. „ „ „ „ 4126. s. XIV. pag. 77.
34. „ „ „ „ 4806. s. X. pag. 77.
35. „ „ „ „ 4807. s. IX. exeunt. pag. 56.
36. „ „ „ „ 4808. s. VI. pag. 21.
37. „ „ „ „ 4808. s. XII. pag. 75.
38. 39. „ „ „ „ 4840. (Baluzianus) s. XV. pag. 77.
40. „ „ „ „ 4871. s. XI. pag. 36.
41. „ „ „ „ 5209. pag. 81.
42. „ „ „ „ 7418. s. XIV. pag. 34.
43. „ „ „ „ 8253. A. (Mentellianus) s. XV. pag. 73.
44. „ Remensis K, 755. 780. anni 1417. pag. 58.
45. „ Romanus Barberinus 809. s. XVI. pag. 67.
46. „ „ Casanatensis A, II. 34. s. XIV. pag. 44.
47. „ „ Torquati de Rossi equit. s. XIV. pag. 72.
48. „ „ Vaticanus 1883. s. XIV. in. pag. 53.
49. „ „ „ 3864. s. X. pag. 32.
50. „ „ „ Ottobonianus 643. s. XV. pag. 60.
51. „ „ „ Palatinus 973. s. X. pag. 33.
52. „ „ „ „ 1356. s. XVI. pag. 39.
53. „ „ „ „ 1357. s. XIII. pag. 37.
54. „ Scorialensis II, R. 18. s. VIII. pag. 31.
55. „ Spirensis s. X. pag. 65.
56. „ Tornacensis s. XIII. ex. pag. 81.
57. „ Venetus Marcianus X, 88. s. XV. pag. 69.
58. „ „ „ 389. s. XV. pag. 61.
59. „ Vindobonensis Caesareus Suppl. 14. s. XV. ex. pag. 54.
60. „ „ „ 181. s. VIII. pag. 52.
61. „ „ „ 3102. anni 1529. pag. 69.
62. „ „ „ 3103. s. XVI. pag. 69.
63. „ „ „ 3222. s. XVI. pag. 56.
64. „ Vratislaviensis Rehdigeranus 63. s. XV. pag. 54.
65. „ Wycestrensis, Ioannis Lelandi, 1538. pag. 81.

LIBER SECVNDVS.

DE LIBRIS MANV SCRIPTIS COSMOGRAPHIAE ETHICI.

CAPVT I.

TESTIMONIA ET IVDICIA VIRORVM DOCTORVM DE ETHICO.

ETHICI[224]) philosophi Cosmographiam, etsi sub finem anni 1852. primum prodiit, tamen inde a saeculo post Chr. n. septimo et S. Isidori aetate ab auctoribus permultis et laudatam invenimus et exscriptam. Quo magis nobis mirandum est, quod ex toto virorum qui de Ethico scripserunt numero, et quos initio huius operis laudavimus, perpauci tantum Cosmographiam nostram a libello Iulii Oratoris segregandam esse perspexerunt. Sed illi omnes fere in Ethico tractando tanta levitate usi sunt, ut certissimis vestigiis plane neglectis, incertas coniecturas sequi quam — quod quidem certe operosius est — testimoniis veterum auctorum diligenter undique collectis, firmissimis subsidiis niti mallent. Ex hac ipsa deinde negligentia incredibilis illa sententiarum perturbatio et confusio orta est, de qua supra paucis disputavimus; quare ut certis documentis quid ex testimoniis veterum colligendum erat comprobemus, auctorum qui Cos-

224) In libris optimis saepius Ethicus quam Aethicus Cosmographiae auctor appellatur, omnes autem codices in fine operis haec verba exhibent: „Explicit liber Ethici philosophi cosmographi, natione Scythica, nobili prosapia parentum. Ab eo enim Ethica Philosophia a reliquis sapientibus originem traxit“. Itaque auctorem nostrum propterea quod „ethicae philosophiae“ addictus erat Ethici cognomine donatum fuisse suspicor, quamvis hodie de hac re nihil certi affirmaverim.

mographiam Ethici aut viderant, aut certe naturam eius libri penitus perspexerant, hoc loco verba ipsa recensebimus.

1. Ethici Cosmographiam omnium quos novimus scriptorum longe primus laudavit Sanctus Isidorus Hispalensis episcopus († 635.). Qui quum in Etymologiarum libris innumerabiles paene locos sine nomine auctoris ex Ethico exscripsit, tum Ethicum ipsum bis nominat, scilicet in Etymologiarum libro XIV, cap. VI. §. 29 [225]): „Hister [226]) dicit, ex Iasone natum fuisse Philomelum, et Plutum: ex Philomelo Pareantum genitum: qui de suo nomine Paron insulam et oppidum appellavit" etc. cfr. Ethicum cap. VI. §. II, 8. pag. 528. edid. D'Avezac.: „Naxos et Melos et ipsae insulae Cycladum, insulaque Melos rotundissima adeo ut et fertilis, ubi Iason et Plutonem vel Paronem et Pharium editos adfirmant".

Deinde in Etymolog. libro XIX, cap. I. §. 21. [227]) „Myoparo, quasi minimus paro. Est enim scapha ex vimine facta, quae contecta crudo corio genus navigii praebet, qualibus utuntur Germanorum piratae in oceani litoribus, vel paludibus, ob agilitatem. De quibus Hister: gens, inquit, Saxonum myoparonibus non viribus nituntur, fugae potius quam bello parati". cfr. Ethicum pag. 488,

225) Isidori Opera ed. Arevali tom. IV, pag. 178.

226) Codices: „Historia", sed legendum esse „Hister" iam M. Opitz vidit pag. 26. libri sui „Incerti poëtae teutonici Rhythmus de S. Annone Colon. Archiepiscopo, ante 500 annos conscriptus". Dantisci 1639. 8°. Arevalus in adnotationibus ad locum Isidori scribit: „Historia, quam hoc loco Isidorus allegat, quaenam fuerit, non invenio". In MSS. libris saepius „Historia" lapsu calami pro „Hister" aut „Histria" scribitur, cfr. Ethicum pag. 491, 2. ubi cod. Lugd. Batavus Vossian. latin. in fol. 29. saec. X. fol. 33. recto a. finem. habet: „ut Eunomius et Priscillianus. cursimque vicina finitima huius regionis. Historia induxit scismata hereticorum" etc. Reliqui codices recte habent „Histria".

227) Opera ed. Arevali tom. IV, pag. 418.

§. III, 1: „Et Saxonum genus inopinatissimum a Meoparotis ingenio valde peritissimum" etc. [228]).

Ethicum praeterea multis locis exscripsit Isidorus, sed ita ut auctoris nomen celaverit, scilicet in Etymologiarum libris sequentibus: lib. IX, cap. II, §. 97. [229]). lib. XIV, cap. III, §. 38. cap. IV, §. 10. 12. 13. 14. 15. cap. V, §. 3. cap. VI, §. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. lib. XV, cap. I, §. 59. lib. XIX, cap. I, §. 8. 9. 10. 12. 13. 21. 26. cap. II, §. 1.

2. Hrabanus Maurus, abbas Fuldensis (natus anno 785. Moguntiaci, † ibidem anno 856. archiepiscopus Moguntinus) in libro „De inventione linguarum ab Hebraea usque ad Theodiscam et notis antiquis" de Ethico haec protulit [230]):

„Litteras etiam Aethici Philosophi, natione Scythica, nobili prosapia, invenimus, quas venerabilis Hieronymus Presbyter ad nos usque cum suis dictis explanando perduxit, quia magnifice ipsius scientiam atque industriam duxit . ideo et eius litteras maluit promulgare . in istis adhuc litteris fallimur, et in aliquibus vitium agemus . vos emendate".

Sequuntur litterae ab Ethico inventae quas in Cosmographia pag. 541. legimus.

---

228) Eadem invenimus in Hegesippi de excidio Hierosolymitano libro V, cap. XV: „Tremit hos Scotia, quae terris nihil debet; tremit Saxonia inaccessa paludibus, et inviis septa regionibus. Quae licet belli curam videntur augere, et ipsa frequenter accessit Romanis triumphis captiva, validissimum genus hominum perhibetur, praestans ceteris, piraticis tamen myoparonibus non viribus nititur, fugae potius quam bello parata". [cfr. Egesippi historiographi inter scriptores ecclesiasticos vetustissimi ..... libri V, divo Ambrosio Mediolanensi episcopo interprete. Excudebat Iohann. Soter apud Sanctam Coloniam. Anno 1530. in fol. cfr. fol. 49. verso, a. finem.]

229) Opera ed. Arevali tom. III, pag. 413.

230) cfr. Goldast, Rerum Alamannicarum Scriptores, tom. II. Francofurti 1661. in fol. pag. 66. sq.

3. Everhardus, Comes Cisoniensis, in testamento suo anno 837. composito, scripsit [231]): „De libris etiam capellae nostrae divisionem inter eos facere volumus. Imprimis volumus ut Unroch habeat .... et Synonima Isidori .... et Cosmographiam Ethici philosophi".

4. Auctor quidam anonymus saeculi IX. monachus, ut videtur, Divionensis, in Cosmographia quam „Karolo regi gloriosissimo" dedicavit, et quam incognitam antea ex codice Lugd. Batavo Vossiano, latin. in quarto, 113. exscripsimus [232]), partem Cosmographiae eam quae de insula Gargania agit [233]), ad verbum transtulit.

5. Auctor libri nondum editi „De viris illustribus quo tempore scripserunt" [234]), in secundo capite de Ethici philosophi Cosmographia disputat „quam e Graeco in Latinum transtulit S. Hieronymus Presbyter".

6. Eodem modo Rogerius Bacon, ordinis Minorum monachus († 1294.) in „Opere maiori ad Clementem IV." [235]) complures locos laudato nomine auctoris ex Cosmographia Ethici descripsit, scilic. pag. 168. a. med.; 169. a. med.; 190. med.; 225. init.; 228. med.; 229. extr.; 230. bis; 235. extr.; 236. init. [236])

---

231) cfr. Auberti Miraei etc. Opera diplomatica et historica. Edit. secundam Ioh. Francisci Foppens. Tom. I. in fol. continentem „Codicem Donationum piarum, Diplomata Belgica, Donationes Belgicas et Notitiam Ecclesiae Belgii". Bruxellis 1723. cap. XV, pag. 22. A. init.

232) cfr. infra caput II. ubi accuratius codicem describemus.

233) cfr. Ethicum pag. 498. extr. sqq.

234) Continetur in codice quodam manuscripto Musei Britannici, signato MSS. Cotton. Faustina A. VIII. saec. XII. fol. 101. recto. cfr. D'Avezac. l. c. pag. 260.

235) Fratris Rogeri Bacon, ordinis Minorum, Opus Maius ad Clementem Quartum Pontificem Romanum ed. S. Iebb. M. D. Londini 1733. fol. maxim.

236) Vel secundae editionis, cui titulus est: „Fratris Rogerii Bacon, ord. Minorum, Opus Maius ad Clementem IV. primum a Samuel. Iebb. Londini editum a. 1733. nunc vero diligenter recusum Venetiis 1750. apud Franciscum Pitteri". fol. min. pag. 125. extr.; 126. p. med.; 142. med.; 168. post med.; 171. init.; 172. ter; 176. bis.

7. Neque vero Thomas de Kent († post annum 1309.), poëta Anglicus, Cosmographiam Ethici ignorabat, quum in libro eius „La geste de Alisandre“, qui adhuc ineditus in Biblioth. Parisiensi asservatur[237]), saepius Ethicum laudatum inveniamus. Scribit enim[238]):

...... „L'ai trové par Solin en grammaire.
Denise, Magastès me troevent l'asemplaire,
Ki alèrent en Ynde par maint lieu solitaire,
Et virent les genz et tut le grant bestiaire;
Des pères ke i trovèrent decristrent le lapadaire,
Et altres livres assez k'il mistrent en almaire.
Jérosme le dist, et Solin l'alosée,
Tibon, Magasthènes, et altres auctors assez.
Qui por véoir merveilles furent en Ynde allés:
Car des dis de lur livres est cestin translatés.
Si vus de coe que di, seignors, ne me créez,
Jérome sur Ethike, et Solin reversez,
Et Trogue-Pompeie; coe que di i troverez;
Si le tenez pur mensonge, à ceux vous pernez“.

8. Xicco Riccius Polentonus[239]) Patavinus, vergente saeculo XIV. in hanc lucem editus, et rei publicae Patavinae quondam Cancellarius († 1461.), vir litteratissimus et de bonis litteris, praecipue autem de historia litte-

237) Scilic. in codice Parisiens. Biblioth. Nation. Fonds Lavallière nro. 45. chartac. Thomas de Kent opus suum saeculo XIII. med. composuit: cfr. D'Avezacium l. c. pag. 260. not.

238) cfr. Legrand d'Aussy in: Notices et Extraits des Manuscrits de la Bibliothèque Nationale et autres Bibliothèques. publiés par l'institut national de France. tom. V. Paris, An VII. in 4°. pag. 121—130. — Vide etiam versus quos affert D'Avezac. l. c. pag. 259. sq.

239) De hoc auctore cfr. praeter alia:

1) Dissertationem de Xicco Polentono Cancellario Patavino historiae litterariae saec. XV. in Italia instauratore. quam indultu amplissimi Philosophorum ordinis in Academia Lipsiensi praeside Ioanne Erhardo Kappio etc. d. XIX. Dec. a. r. g. 1733. placido eruditorum examini submittet Ioannes Godofr. Sieberus, Lipsiensis. Lipsiae ex officina Langenhemiana. in 4°.

2) Ioh. Alb. Fabricii Biblioth. med. et infim. Latinitatis ed. Ioann. Dominic. Mansi. Patavii 1754. 4°. tom. VI, pag. 1. 2.

raria egregie promeritus, in opusculo nondum edito [240]), quod anno 1433. conscripsit „De illustribus scriptoribus latinae linguae libri XVIII.“ libro octavo: „Adesset, inquit, si ad Grecos ire placeret, memorandus hic Ethicus philosophus, atque isto in genere (scilic. in Cosmographia) auctor egregius . hunc traduxit in Latinum e Graeco Hieronymus presbyter“.

9. Marinus Barletius [241]) de Turcis haec ex Ethico deprompsit: „Turcae sunt isti servi, ex Scythis fugitivis qui, ut fertur, sedes patrias ultra Riphaeos montes et Taracontas insulas, etiam aquilonis ubera ad septentrionalem oceanum habuere“. etc. cfr. Ethicum p. 472, 4.

10. Lilius Gregorius Gyraldus, Ferrariensis [242]) non uno tantum loco Ethicum ante oculos habuit, cfr. p. 1. 7. 8. 55. 208. 209. 211. 212. 225. 226. extrem.; 231. 233. 235. 236. init.; 238. 241. 271. 277.

11. Ioannes de Hese, Traiectensis dioeces. presbyter, qui anno 1489. Hierosolymam petierat, Ethicum in libro suo Itinerario exscripsit [243]).

---

240) cfr. Biografia degli Scrittori Padovani di Giuseppe Vedova. 2 Voll. Padova 1836. 8°. tom. II. s. v. „Polentonus“.

241) „De vita, moribus ac rebus praecipue adversus Turcas gestis, Georgii Castrioti clarissimi Epirotarum principis“. Argentorati 1537. fol. pag. 48.

242) De re nautica libellus, admiranda quadam et recondita eruditione refertus, nunc primum et natus et aeditus. Basileae 1540. 8°.

243) Itinerarius Ioannis de Hese presbyteri, a Hierusalem describens dispositiones terrarum, insularum, montium et aquarum . ac etiam quaedam mirabilia et pericula per diversas partes mundi contingentia lucidissime enarrans. Impress. Daventrie per me, Iacobum de Breda. Anno dni 1504. In profesto conversionis Scti. Pauli. in 4°. Ubi vide tractat. IV. „Ioannis presbiteri maxmi (sic!) Indorum et Ethiopum Christianorum Imperatoris et patriarche, Epistola ad Emanuelem Rome gubernatorem, de ritu et moribus Indorum . deque eius potentia, divitiis et excellentia“. pag. 20. extr. 21. 35. 36. — et tractat. V: „Tractatus pulcerrimus de situ et dispositione regionum et insularum totius Indie. Nec non de rerum mirabilium ac gentium diversitate“. pag. 37.

12. Ioannes Picus Mirandulae Concordiaeque comes († 1494.)[244]), Rogerium Baconem castigans, „.. adeo, inquit, ut Rogerius Bacon, magnus astrologiae patronus, nullius libentius scriptoris testimoniis utatur ... Sic magnam quoque ille fidem praebet Ethico philosopho, cuius liber de Cosmographia translatus dicitur ab Hieronymo. Est autem lectio adeo deridicula ut nulla magis, sed frequenter citata a Rogerio nostro in Epistola ad Clementem, ita ut fere adducat compositum ab eo libellum quendam cui titulus „de erroribus studentium theologiae". Quo imprimis volumine erroris accusatur, quod theologi nostri mysteria religionis magis ex Aristotele caeterisque philosophis confirment, quam ex authoribus quos modo nominavimus, Ethico, Artephio, Ovidio de vetula, poëtisque similibus". etc.

13. Iosias Simler in „Epitome Bibliothecae Conradi Gesneri"[245]) fol. 48'. de Ethico scribit haec: „Ethicus Hister quidam scripsit Antiquitatis historias quae ab Hieronymo in Latinum sermonem e Graeco conversae creduntur. Has alicubi Lilius Greg. Gyraldus citat tamquam extantes".

In Praefatione ad Pseudo-Aethici et Itinerarii Antonini editionem idem Simler de Ethico nostro loquutus: „Lilius Gyraldus, inquit, in libro de Navigiis citat Aethici Antiquitatis historias, quae ab Hieronymo in Latinum sermonem e Graeco conversae creduntur. Audio etiam apud Cl. V. P. Danielem Aurelianensem extare Aethici librum hac inscriptione: „Inc. liber Aethici philosophico editus oraculo, a Hieronymo presbytero translatus in Latinum, ex Cosmographia et mundi scriptura". De eo etiam sic scri-

---

244) cfr. Io. Pici Mirandulae Concordiaeque Comitis; item tomo secundo Ioannis Francisci Pici Principis, ex eadem illustri prosapia oriundi, Opera quae extant omnia. Editio ultima. Basileae per Sebast. Henricpetrum 1601. mens. Septemb. in fol. tom. I, pag. 284.

245) Epitome Bibliothecae Conradi Gesneri, locupletata per Ios. Simlerum Tigurinum. Tiguri 1555. in fol.

bitur in praefatione: „Hic Aethicus Istria regione sophista claruit, primusque codices suos Cosmographiam nuncupavit: alios, quos non minora sed maiora dixisse cognovimus, Sophogrammios appellat“. Nobis librum illum videre non contigit, sed in nostro exemplari hoc de illo iudicium a viro docto adnotatum fuit: librum esse barbare scriptum, nugis et fabulis refertum, de creatione mundi, de elementis, de mirabilibus mundi, etc. omnia indigna Hieronymo: ac ne Aethici quidem, quoniam in eo libro ipse Aethicus Ister philosophus saepe citatur et Alchimus“.

Neque vero Cosmographiam Ethici ignorabant diversam esse a libello Iulii Honorii Oratoris recentiorum Guilielmus Camden[246]), Antonius Possevinus[247]), Gerh. Ioh. Vossius[248]), Abrahamus Ortelius[249]), Gualterus Raleigh[250]), Georgius Hornius[251]), Guilielmus Burton[252]), Claudius Sal-

246) Britannia, sive florentissimorum regnorum Angliae, Scotiae, Hiberniae et insularum adiacentium ex intima antiquitate chorographica descriptio. Londini 1586. 8°. pag. 543. sive editionis eae quae Londini 1707. in fol. prodiit, pag. 847.

247) Antonii Possevini, Mantuani, Societ. Iesu „Bibliotheca selecta de ratione studiorum“. Coloniae Agrippinae 1607. in fol. cfr. librum XVII. De poësi et pictura. Ibi enim cap. XXIX. pag. 453, in: „Elencho aliquot poëtarum, qui vel de rebus sacris, vel certe haud obscoenis scripserunt: quive de recto poëseos usu egerunt“ Aethici Cosmographia laudatur.

248) De historicis graecis lib. IV. cap. 12, pag. 469. — De historicis latinis lib. III, pars II. pag. 692. 693.

249) Thesaurus geographicus recognitus et auctus, Hanoviae 1611. 4°. vel: „Thesaurus sive lexicon geographicum“. Antv. 1596. in fol.

250) Walter Raleigh, Knight: „The Historie of the World in Five Books“. London 1652. in fol. cfr. lib. I. cap. III, §. 10. pag. 45.

251) De originibus Americanis libri IV. Hagae Comitis 1652. 8°. ubi vide librum III, cap. 15. pag. 199. „Ethicus Cosmographus antiquus, nondum editus, cuius antiquissimum codicem in membranis scriptum bibliotheca Cl. Boxhornii amici nostri summi communicavit, de Turcis“ etc.

252) A commentary on Antoninus' Itinerary .... so far as it concerneth Britain. Londin. 1658. fol. pag. 5.

asius [253]), Martinus Opitz [254]), Theodorus Ryckius [255]), Paulus Vindingus [256]), Carolus du Cangius [257]).

Hórum numero adiungendi sunt auctores ii, qui nostra aetate de Ethico sententias ediderunt. Sunt autem fere hi: Bartholom. Kopitar [258]), Maurit. Haupt [259]), A. Ial [260]), Santa-

253) In Exercitationibus Plinianis in Caii Solini Polyhistora etc. Paris. 1629. fol. cfr. pag. 690 A. 826 A. 891 D.

254) Incerti poëtae teutonici Rhythmum de Sancto Annone Colon. archiepiscopo ante 500 annos conscriptum, edidit Martinus Opitzius. Dantisci 1639. 8°, ubi vide pag. 20—41. cfr. quoque ea quae supra pag. 90, not. 226. de Opitzio attulimus, qui primus perspexit pro „Historia" apud S. Isidorum in Etymologiarum lib. XIV, cap. 6, §. 29. et libro XIX, cap. 1, §. 21. scribendum esse „Hister".

255) In epistola Vindingii quam infra laudabimus, pag. 194: „Aethicum a vulgato longe dissimilem promisit olim Salmasius in notis ad Histor. August. p. 140. ex Thuaneae Bibliothecae, ni fallor, et Danielis schedis. Memini etiam me vidisse codicem Aethici MS. in bibliotheca Vossiana a publicato diversum".

256) Pauli Vindingii ad Ioh. Deckherrum epistola „de scriptis nonnullis adespotis", apud Ioh. Deckherri „De scriptis adespotis, pseudepigraphis, et supposititiis coniecturae". Argentorati 1681. 12°. p. 192, 193.

257) Glossarium ad Scriptores mediae et infimae graecitatis. Lugduni 1688. fol. tom. II. Omissa et Addenda. pag. 109. s. v. Κορκόνιλος.

258) Glagolita Clozianus, id est codicis Glagolitici inter suos facile antiquissimi, olim dum integer erat Veglae in thesauro Frangepaniano habiti pro S. Hieronymi Bibliis Croaticis, supparisque ad minimum exarato anno 1057. Cyrilliano Ostromiri Novogradensis, Λείψανον foliorum XII. membraneorum, servatum in Bibliotheca Ill^{mi} Comitis Paridis Cloz Tridentini. etc. etc. Illmo Comiti Paridi Cloz Tridentino felici codicis domino dedicavit Bartholomaeus Kopitar. Vindobonae 1836. 4°. pag. XI A.: „Admonuitque nos hoc loco Ill. Comes C. O. Castillionaeus μνσπηρικώδους Aethici (sive tu Ethicum malis rectius scribere) Histrorum philosophi, de quo eiusque litteris citat Hieronymi locum Hrabanus Maurus, in ipsius S. Hieronymi opp. hodie non exstantem. Quid si Ethicus iste, cui etiam orbis descriptio quarti ad summum saeculi tribuitur, et Slavicarum litterarum ante Cyrillum auctor exstiterit: cum illoque memoratus ab Hrabano presbyter Hieronymus ansam dederit alphabeti S. Hieronymo tribuendi?"

259) Dr. Moritz Haupt's Recension von B. Kopitar's Glagolita Clozianus. Aus dem 76. Bande der Jahrbücher der Litteratur besonders abgedruckt. Wien bei Carl Gerold. 1836. 8°. pag. 8—10.

260) Archéologie Navale par A. Jal. 2 Voll. Paris 1840. 8°. tome II,

ghina viarcem turma tergiversantium titillat . turgentium titubata tela tandem trutinata tritura toracem . tactu mucronis Trimarcia. Thafros Alces tumultuantes; Tantilla tenus . turma tironis temporum tura tantopere Tulchus triarum tonantium tenet Malancinorum titanistria . tellura Murginum delubra amara gentium . Stulta et invia . saltus . aquilo: titan . expedita alarum tela vehementiam triumpha carpere famosa trophea . in trumphea ulcisci borrea catafracta cumulo fore diuturno bello subigere mucrone africo connexa uligine vesania Malancini cacinfata sumpsere praedonum spolia in lances suos . sugent cruore . et inmense devorant finitimorum carnes . medullam caesorum lambiunt . et vipereas lemurcas consumunt" ".

Eiusmodi etiam sunt pag. 515, 3; 521 sq. etc. etc.

Quamvis autem in plerisque consentiant libri manuscripti, tamen dissentiunt in aliis, ita ut certas familias atque ordines librorum constituere possimus. Et quia hac in re potissimum codices quos vidimus dissentiunt, ut innumerabilibus cuiusvis generis vitiis alii scateant, alii lectiones minus depravatas asservaverint, ita ut (si locos excipias illos qui omnino non intelligi possunt) reliqua magna ex parte sensum praebeant: in duas partes libri manuscripti abeunt.

§. 1.

DE LIBRIS MSS. FAMILIAE A.

Codices familiae A, sive optimae notae, omnino tres nobis occurrerunt, scilicet:

1. Cod. Vaticanus, ex Biblioth. Reginae Suecicae, signat. 1260, antea Floriacensis quem habuit Petrus Daniel Aurelianensis, in quarto, mbranac. charactere gallico nitide exaratus. Initio codicis expressum est nomen Petri Danielis Aurelianensis, eum laudant in Praefatione ad editionem Pseudo-Aethici et Itinerarii Antonini Iosias Simler, nec non in Biblioth. Bibliothecarum

tom. I, pag. 25 B. (signatum Vatic. Christina 497,) Montefalconius.

Insunt praeter alia multa (de quibus confer Isidori Opera ed. Arevali, tom. II, Romae 1797. 4°. pag. 329—331.) manu saec. X. vel XI. in. exarata:

Fol. 125 — 164': rubrica „INC. LIBER ETHICI PHILOSOPHICO EDITVS ORACVLO A HIERONIMO PRESBITERO TRANSLATVS IN LATINVM EX COSMOGRAPHIA. I. MVNDI SCRIPTVRA EDITA ETHICI PHILOSOPHI COSMOGRAPHI. Philosophorum schedulas sagaci indagatione investigans ... properavit in montem sacrum arasque Iovis famosissimas". (cfr. Ethic. pag. 533, 3.) Reliqua omnia exciderunt. Ab eadem manu scripta sequuntur „quinque hermeneumata", i. e. lexica latino-graeca, fol. 165. sq.

Hunc codicem praestantissimum nostra gratia totum descripsit Lud. Bethmann.

2. Cod. Londinens. Musei Britannici, Cotton MSS. Vespasian. B, X.[265]) saeculi X. mbranac. Eum Vigorniae olim possidebat D. Peddar, Ecclesiae Cathedralis Decanus, cuius ex schedis anno 1565, die 21. Februarii in Bibliothecam Mortlakiensem Ioannis Dee, Dr. venisse ea ex re apparet, quod nomen eius una cum praedicto anno etiam nunc in fronte gerit[266]). Codex folia 123. continet, quo-

265) cfr. Collection de documents inédits sur l'histoire de France publiés par ordre du Roi et par les soins du ministère de l'instruction publique. Rapports au ministère. Paris 1839. 4°, ubi vide nro. III. Rapport de M. Francisque Michel, suivie de descriptions et extraits de manuscrits. pag. 165—173. — cfr. etiam: Smith, catalogus librorum MSS. Bibliothecae Cottonianae. Oxoniae 1696. in fol. pag. 109.

266) cfr. „The Private Diary of Dr. John Dee, and the Catalogue of his Library of MSS. from the original MS. in the Ashmolean Museum at Oxford. and Trinity College Library, Cambridge. Edited by James Orchard Halliwall. Esq. London printed for the Camden Society, 1842". in 4°. pag. 66, nro. 9.: „Ethici Histri Cosmographia ex versione latina D. Hieronymi. Now Cotton MSS. Vespas. X. Thus inscribed by

rum fol. 1—30. extrema parte humore laesa sunt, ita ut versus ultimi tres nonnumquam aut omnino deleti sint, aut vix possint explicari.

Insunt: fol. 1. Vita S. Brandani saec. XII. vel XIII. ineunt; — fol. 11'. Vita B. Brendani abbatis, eadem manu scripta; — fol. 21. Vita Longini militis, ab eadem manu; — fol. 22. columm. 2. usque ad fol. 22'. „De 15. signis diem Iudicii antecedentibus", ab eadem manu; — fol. 22'. Versus ac sententiae latini, manu saec. XV. exeunt. conscr.; — fol. 23 et 23' vacua remanserunt; — fol. 24. „Inc. Alpharabius de divisione omnium scienciarum" saec. XIV; — fol. 27'. Prologus in librum de morte Aristotelis s. XIV; — fol. 29'. „Inc. liber de intelligentia Aristotelis" s. XIV; — fol. 31—123. manu saec. X: INCIPIT LIBER AETHICI TRANSLATVS PHILOSOPHICO EDITVS ORACVLO A HIERONIMO PRESBITERO DELATVS EX COSMOGRAFIA ID EST MVNDI SCRIPTVRA. EDICTA AETHICI PHILOSOPHI COSMOGRAPHI. „Philosophorum scedulas sagaci indagatione investigans .... EXPLICIT LIBER AETHICI PHILOSOPHI COSMOGRAPHI NATIONE SCITHICA NOBILI PROSAPIA PARENTVM. AB EO ENIM AETHICA PHILOSOPHIA A RELIQVIS SAPIENTIBVS ORIGINEM TRAXIT".

Huius codicis magnam partem a nobis rogatus descripsit V. Cl. R. Pauli Dr. Lectiones habet optimas, multa tamen et in hoc libro inveniuntur quae intellectu difficillima sunt, neque vitiis caret. Ad eiusdem libri fidem nuperrime D'Avezacius Cosmographiam edidit (idem enim est, quem D'Avezacius littera C. signavit). Maxime autem cum nostro consentit codex proxime sequens, ita ut ex hoc emanasse illum statuendum sit, scilicet:

Dr. Dee's hand: „„Iohannes Dee, 1565, Februarii 21, Wigorniae ex Dono decani Ecclesiae Magistri Beddar"".

2*. Cod. Londinens Mus. Britannic. Biblioth. Harleyanae, sign. 3859, nro. 7, mbranaceus, saec. XI. vel XII.

Insunt praeter alia: fol. 135[1] Nennius; — Ethici Cosmographia.

Magnam huius libri partem R. Pauli Dr. nobis descripsit; ad verbum fere consentit cum codice proxime antecedenti cuius apographum esse videtur[267]).

§. 2.

DE LIBRIS MSS. FAMILIAE B.

Secundae familiae libros manuscriptos eos adsignavimus, qui lectiones multo magis depravatas exhibent quam libri ordinis prioris. Sunt autem codices tres antiquissimi, qui ita in singulis lectionibus, nec non in omnibus fere vitiis consentiunt, ut ex eodem archetypo defluxisse eos facile appareat. Quorum vetustissimus est:

1. Cod. Lipsiensis Biblioth. Senatus, 89. Repert. I, 4, 72. forma octava, mbranaceus, foliorum 107, saeculo VIII. exeunte vel IX. ineunte conscriptus, quem saec. XIV. habuit Monasterium Sancti Lutwini (Trevirensium olim episcopi) in Mediolaco[268]). In prima enim pagina manu saec. XIV. signaturam hanc invenimus: „Codex monasterii Sancti Lutwini Episcopi Trevirensis in Mediolaco". Eum ipsi excussimus.

Inest: Ethici philosophi Cosmographia integra, fol. 1[1]—107. recto.

267) De hoc codice cfr. [R. Nares] „A Catalogue of the Harleyan Manuscripts in the British Museum". 3 Voll. ubi vide tom. III. London 1808. in folio. pag. 87. sqq. — cfr. etiam Eduard Böcking „Ueber die Notitia dignitatum utriusque Imperii". Bonn 1834. 8°. pag. 21, not. 3. — denique cfr. G. H. Pertz „Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde" etc. tom. VII. Hannover 1839. 8°. pag. 81. med.

268) Mediolacum hodie est „Metlach"; cfr. Pertz, Monumenta Germaniae Historica, Scriptorum Tom. VIII, pag. 161.

Codex compactus est ex 13. quaternionibus, qui in margine paginae ultimae numeris I, II, III, etc. signati sunt; his adiecta sunt folia quattuor. Quaternio primus septem tantum folia habet; folii 80. dimidia pars desecata est, neque tamen ulla Cosmographiae littera hoc loco excidit. Post finem 13^{mi} quaternionis et extrema eius verba: „Illic Galilea regio Iordanis Samariae urbis vicina confinium et ianua regionis", ea quae in reliquis codicibus sequuntur: „opima, et spatiosa .... Conophea insula oceani quae ex parte Egypto, ex parte Libia subiacet, omnibus bonis iucunda. Aurum optimum et uniones lapides gignit", in codice Lipsiensi omissa sunt; igitur folium unum aut ex nostro aut ex archetypo eius excidit.

Singulae paginae 19. versus continent, quorum lineae stilo ductae sunt. Codex una quidem manu litteris minusculis nitidissime exaratus est, sed a recentiori manu saepius alio atramento correctiones interlineares additae inveniuntur. Primi Cosmographiae versus atque ultimi, nec non singulorum capitum tituli, litteris uncialibus, et quidem pars argento, scripti sunt.

Scripturae compendia haud multa nec inusitata inveniuntur; magis autem notandae sunt litterarum formae nec non inclinationes, quae saepius occurrunt.

Interpungendi signa sic librarius usurpavit, ut pro commate nostro puncto uteretur, sed ita ut punctum pro arbitrio suo et iis in locis scriberet, ubi vera interpunctio nulla erat. Quin etiam haud uno loco eiusdem vocis syllabae puncto seiunguntur; scribit enim fol. 54: „angustis . Sima".

Signo deinde quod semicolon appellamus (;) semper pro puncto nostro utitur, idque maximam omnium vim in codice nostro habet; quare in fine universi operis, nec non in fine singulorum capitum, hoc signum scriptum invenimus. Virgulam (,) sexies tantum posuit, scilicet fol. 32. p. med. (bis), fol. 32'. init., fol. 33'. extr. (bis), denique fol. 56'. Virgula cum puncto infrascripto (!) saepius utitur librarius pro solo

puncto, cfr. fol. 5; interrogandi denique signum formam habet hanc:  cfr. fol. 5.

A c c e n t u s saepius litteris vocalibus additi inveniuntur:

litterae *a*: tám (fol. 30.), áer (f. 12.) hás (f. 13.), áerís (f. 26.) á (f. 56.) Meópárotas (f. 17.).
„ *e*: sé, tér, sécerpsimus (fol. 49'.) sévis (f. 65'.).
„ *i*: ínibi, statím, vím, hís, quamvís, víx.
„ *o*: tót, Meópárotas (fol. 17.), órcus (fol. 20.), Góg et Magóg (fol. 22'.), Ó (fol. 24'.), sincitó (fol. 27.), Óceánum (fol. 39.), Ós (fol. 87'), tótidem (fol. 89.).
„ *u*: plús (fol. 45.).

Notanda deinde ratio est, qua et d i r i m u n t u r s y l l a b a e et c o m p o n u n t u r, cuius rei exempla haec sunt:
acha‿demicus (fol. 1'.); E*falt*iora (fol. 1'.); magna‿timque (fol. 1'.); codi‿cessuos = codices suos (fol. 2.); chosmo‿grafiam (fol. 2.); quossopo gramus = quos sophogramios (fol. 2.); scopolis quemcognis = scopulisque magnis (fol. 91.); Citerea*m* sola = Citerea *in*sola (fol. 92'.); conpagine stótque = conpagine*s* totque (fol. 35.); Stoae insulae cades = Stoaecades insulae (fol. 96.); Liburnenego tiatorum naves = Liburnae negotiatorum naves (fol. 39.); velca cabum = vel cacabum (fol. 46.); angustis . Sima = angustissima (fol. 54.); in uso suarios = in usus varios (fol. 59'.); duos regiosi venes = duos regios iuvenes (fol. 63.); firmate natitate = firma tenacitate (fol. 8'.), ubi secunda manus correxit: „firmata nati apta“; ideomoc | hus (fol. 18.); Bas | tarma (fol. 30.) etc.

Quod denique ad o r t h o g r a p h i a m attinet, codicis Lipsiensis scriba ab usitata scribendi ratione saepissime discessit, ita ut et vocales litteras et consonantes pro arbitrio commutaret.

ratis = obduratis (f. 7'.), *tensitate* = densitate (f. 27.)

Ponitur: t pro th: *Tessalia* (saepe), ca*th*olocus = catalogus (f. 105.)

v „ b: prae*v*et (f. 25'.)

v „ f: *v*ilis = filis (f. 29'.), *v*aculas (f. 61'.)

vi „ in: *vi*sontium = insontium (f. 22.).

Singulae litterae adduntur in vocibus: Brit*t*anicas (f. 18.), Iafeth*t* (f. 45'.), *h*ac = ac (f. 25.), *h*arenam (f. 88'.), *h*innulla = in nulla (f. 44'.), *h*auserit = auserit (f. 46'.), Philipp*h*us (f. 32'.), tol*l*ero, As*s*ię = Asiae (f. 71'.), Ap*p*alloni (f. 78.), queril*l*ae = querelae (f. 93'.) etc.

Singulae litterae abstrahuntur in voce: ca*l*edus = callidus (f. 6.), in*s*timabile = in*ae*stimabile (f. 12.), Brit*an*icas (f. 18.), no*n*umquam (f. 22.), philo*p*us = philosophus (f. 7'.), phi*lop*hus (f. 45'.), philo*s*phi (f. 1'.), phil*op*horum (f. 68.), *au*stum = haustum (f. 62'.), *a*ctenus (f. 103'.), *au*rireque = haurireque (f. 16.), *fi*sci = physici (f. 68'.), The*s*alia (f. 78.), Parna*s*us (f. 78.), *C*ion = Chios (f. 93.).

2. Cod. Guelferbytanus, Augusteus, 80. 6, forma octava minori, membranaceus, s. IX. ineunte exaratus manu nitidissima eadem fere qua proxime antecedens. Compactus est ex quaternionibus septem, ternione uno, foliis quatuor; exciderunt primi quaterniones duo. Manus saeculi XV. in margine nonnulla adspersit, glossasque interlineares addidit.

Inest: Ethici Cosmographiae fragmentum inde a fol. 6. rect. usque ad fol. 37. rect. vers. 6. codicis Lipsiensis. Incipit enim: „iustorum et angelorum" etc. desinit: „et sapientiam huius mundi animarum stultitiam autumet. finit". cfr. Ethicum pag. 484. extrem.

Hunc codicem ipsi excussimus: consentit fere ad verbum cum codice Lipsiensi, ex quo tamen eam ob causam ortus non est, quia nonnumquam cum optimis libris verba addit quae in Lipsiensi desiderantur; qua de re confer Ethicum pag. 460, vers. 6; 462, vers. 3; 476, 5. vers. 2; 479, 2,

vers. 6. Deinde vero eosdem codices optimos sequutus, alia omittit quae in Lipsiensi libro inveniuntur, cfr. Ethicum pag. 462, extr.; 465, v. 9; 467, 3. extr.; 469, v. 2; nec non propriis vitiis nonnullis deformatur, cfr. Ethicum p. 460, v. 7.

Quare librum nostrum ex eodem fonte defluxisse dicemus cum Lipsiensi codice; et quia nonnullae Guelferbytani manuscripti lectiones cum scripturis optimorum librorum consentiunt, concludendum erit, archetypum eius ex primae familiae (A.) libro quodam fuisse natum. Ipse autem Guelferbytanus exemplar fuit:

2*. Cod. Sangallensis 133, formae octavae minoris, una manu saeculi IX. ineunt. conscripti[269]), mbranac.

Codicem ipsi excussimus; paginas continet 657.

Insunt: pag. 2. Liber locorum S. Hieronymi; — pag. 197 — 298. Ethici Cosmographiae fragmentum quod incipit: „INCIP. LIB. AETHICO TRANSLATO. PHILOSOPHICO EDITO ORACVLO! HIERONIMI PRBI. DILATVM EX CHOSMOGRAFIA: ID EST MVNDI SCRIPTVRA EDIC ETHICI PHILOSOFI CHOSMOGRAFIA; Philosophorum scedolas ... ad plenum spiritalem ob ÷ (sic!) allidat petram et sapientiam absit huius mundi animarum stultitiam autumet; FINIT". — pag. 298. vacuum remansit. — pag. 299—396. Liber generationum S. Hieronymi; — pag. 397—426. Prophetiarum collectio; — pag. 427—597. alia multa S. Hieronymi et S. Isidori; — pag. 598, 599, 600, 601. vacua; — pag. 602—657. Itinerarium Hierosolymitanum ex urbe Placentia.

Hunc librum antecedentis codicis apographum esse, quum iam ea ex causa veri simile sit, quod uterque idem fragmentum Cosmographiae exhibet, et librorum etiam formae plane consentiunt: aliis argumentis multis et gravissimis evidenter demonstratur.

269) Laudatur enim cod. Sangallensis in vetustissimo illo catalogo librorum, quem saec. IX. conscriptum, ex codice 728. typis expressum reperimus in „Serapeum" etc. 1841. pag. 8.

Et primum quidem librum nostrum Guelferbytani archetypum non fuisse (id quod forte quisquam suspicabitur) inde apparet, quod fol. 6, 7', 9, 19 (cod. Lipsiens.) Sangallensis codex nonnulla omittit, quae apud alterum inveniuntur. Deinde vero paullo recentiori manu conscriptus est codex noster quam Guelferbytanus.

Itaque hoc unum restat, scilicet ut Sangallensem ex superiori emanasse concedamus, quam rem ita se habuisse facile comprobabimus.

Etenim librarius codicis 2. (Guelferbytani) pag. 460, 3. (edition. D'Avezac.) scripsit: „tremores"; quam virgulam emendationem esse ratus codicis 2*. (Sangallensis) auctor scripsit „tremor*is*". Deinde p. 462 vers. 1, cod. 2. habet „for-tissimam", sed ita scriptum, ut litterae *rt* (ſt) litteris *st* (ſt) consimiles sint: quare in cod. 2*. exaratum legimus „fostissimam". Eadem ratione 2*. pag. 462 extr. „ostum", et pag. 463, 2. init. „pa*s*te" habet pro „o*r*tum" et „pa*r*te" codicis 2.

Pag. 462, vers. 8. scriba cod. 2. primo scripserat „pernitionem", sed punctis superscriptis litteras *on* delevit (pernicionem), ita ut legendum sit „pernitiem"; idem autem invenimus in cod. 2*. Deinde pag. 464, 5. extr. in cod. 2. legitur „áer", accentum inde recepit cod. 2*. Pag. 464, §. IV, 1. vers. 3. in utroque libro scriptum erat „ardu*a*" quam vocem, praeeunte 2, cod. 2*. in „arduo" mutavit. Tum librarius cod. 2. vocem „sol" pag. 464, §. IV, 1. v. 4. omissam, in extremo folii margine (fol. 13'.) addidit, quae res scribam cod. 2*. effugit, ita ut in hoc libro vocabulum illud plane desideremus. Pag. 464, §. IV, 1. v. 7. virgula litterae x in voce „commixtim" a librario cod. 2. ita in lineam proxime sequentem deducta est, ut cum littera *r* vocis „nominat" cohaerere videatur; quare scriba cod. 2*. quum hoc minus intellexisset, primo quidem scripsit „nominatur" — (nam *r* = tur) — tum vitium

correxit. Denique cod. 2. habet pag. 465, 5. „incul ta maceda“ pro „inculta maceda“, unde 2*: „incul. Tamaceda“.

Itaque secundae familiae codices sic cohaerent:

[Cod. X.]

1. Cod. Lipsiensis — 2. Cod. Guelferbytanus

2*. Cod. Sangallensis.

§. 3.

DE LIBRIS MSS. FAMILIAE C.

Libri manuscripti quos hoc loco recensebimus ita constituti sunt, ut hucusque de eorum ortu nihil certi affirmari possit. Sic enim cum praecedentibus coniuncti sunt, ut in aliis lectionibus cum fam. A. codicibus, cum familia B. in aliis maxime consentiant. His igitur tum demum suos locos assignare poterimus, quum plures Cosmographiae libros inspexerimus.

1. Cod. Lugduno-Batavus Vossianus, Latin. in folio, 29. saeculi X. signatus olim 179[270]), foliorum 135, ex tribus codicibus compactus, mbranaceus.

Insunt: fol. 1—10 rect. Epistola Alexandri Magni ad Aristotelem. „Semper memor tui etiam inter dubia bellorumque nostrorum pericula ... quia sicut locucio sine accentu et cantus sine sonum esse non postest. ita adverbium sine verbo sensum implere non potest.“ Expl. Epistola Alexandri Magni Macedonis ad Aristotelem; — fol. 11—24^1. Gesta Alexandri. „Hegipti sapientes sati genere divino primi feruntur ..... unio et veneno superatur atque extintus occubuit“. Finit; fol. 25—66^1. Ethici Cosmographia. „INCIPIT LIBER AETICI COSMOGRAPHI ET PHILOSOPHI STILO AEDITVS. ET A IHERONIMO

270) Idem liber est quem laudant „Catalogi librorum MSS. Angliae et Hiberniae in unum collecti cum indice alphabetico“. Oxoniae 1697. fol. tom. II, pag. 67 A. signatum: cod. Isaaci Vossii 2505, 180. — cfr. etiam Pertz, Archiv etc. tom. VII, p. 187.

PRO., IN LATINVM TRANSLATVS. „Philosophorum scedulas .... Suos caracteres litterarum quos adinvenit ita distinxit“; — fol. 67—68¹. Duo tractatus „de resurrectione corporum in novissimo die“, et: „de iustorum purgatorio et poena peccatorum“; — fol. 69. recto — 135¹. C. Iul. Solini Polyhistor. „Solinus Advento salutem. Cum et aurium clementia et obtimarum arcium studiis prestare te ceteris sentiam .... Deinde Canaria repleta canibus .... Perhibent etiam expui in ea mundoso mari beluas. Deinde cunu (sic) mon*tr*a illa putredine tebe facta sunt! omnia illic infici tetro odore ideoque non penitus ad nuncupationem sui congruere insularum qualitatem“; ΔΩΔΩC .. ZPHΠCHT; (hoc est: Dodo scripsit).

Hunc ipsi excussimus; singulae paginae 30. versuum sunt. In archetypo ex quo exscriptus est, quaternionum ordinem turbatum fuisse ex eo apparet, quod in nostro medio folio 31. rect. vers. 8. verba „vel incultos doctores“ quae in codice Lipsiensi fol. 18. init. leguntur, sine ullo intervallo verbis excipiuntur „consuete *im*modum fabrorum“ quae cod. Lipsiensis habet fol. 38¹. post med. Ea autem quae hoc loco omissa sunt, fol. 31, 8 — fol. 39¹, 12. scripta invenimus. Itaque codicis paginae hac serie legendae sunt:

Cod. Lugd. Batav. Vossianus.		Cod. Lipsiensis.
1. fol. 25 — 31, 8.	quae consentiunt cum:	fol. 1¹ — 18. in.
2. „ 39, 13 — 48, 27.	„ „ „	„ 18. in. — 38¹.
3. „ 31, 8 — 39¹, 12.	„ „ „	„ 38¹ — 63.
4. „ 48, 27 — 68.	„ „ „	„ 63 — 107.

Codex noster haud raro cum optimis libris consentit, quamquam in aliis lectionibus secundam familiam sequitur; mendis propriis scatet, nec non permulta verba, quin etiam complures versus, sive per negligentiam sive aliam ob causam a librario omissa sunt.

Quod deinde ad scripturae compendia pertinet, notandus est usus virgulae (?). Usurpatur enim saepissime

pro *m*, ita ut: a̓, e̓, o̓, u̓ legentibus occurrant pro: am, em, om, um. Hoc autem scripturae compendium, quum in vetustissimis saeculi VI. et VII. libris manuscriptis inveniatur, fortasse colligendum est, codicis nostri archetypum ad sextum vel septimum saeculum pertinuisse. Tum vero haec eadem virgula pro *s* ponitur fol. 29', 2. „meoparo̓“, et pro *n* fol. 29'. extr. „co̓fligunt“ = confligunt. Fol. 56'. med. t̓ pro tibi scribitur.

Virgula deinde (~) librarius saepissime utitur ubi scripturae compendium indicare vult. Quare scribit: nōru = nostrorum (fol. 26 med.); ẽr = erunt (f. 27'); dixẽr = dixerunt (fol. 27', 6.); grẽ = gratiae (f. 27', 8.); sol = solis (fol. 28. med.); ł = vel; scrił = scribunt (fol. 48.); sed pro littera *s* ponitur fol. 26'. fin. „virtutẽ“, et fol. 27', 7. „fixurã“, ubi reliqui codices omnes „virtute*s*“ et „fixura*s*“ exhibent. Sic etiam pro *t* usurpatur fol. 50. ubi „dilatavĩ“ pro „dilatavi*t*“ scriptum est.

Vocis „que“ signum has formas habet: (q:) aut: (q.); pro „Et“ uno saltem loco (fol. 28', 17.) , et fol. 49':

 invenimus. Litterarum *st* ductus haud multum differt a *rt*, ita enim legitur: ; *ra* bis hunc in modum scriptum est: , cfr. fol. 30', 10. et 42, 11. Denique virgula (ꝰ) pro *us* saepissime usurpatur, semel etiam pro *ius*: nulꝰ = null*ius* (fol. 42', 10.).

Neque minus orthographia digna videtur ut paullo accuratius eam pertractemus. Exempla sunt haec.

1. Vocalium litterarum permutatio.

Ponitur: a pro au: ad = aut (fol. 32, 23.); at = aut (saepius, f. 32' ter. f. 34. etc.)

Ponitur: ae pro e: saepissime.
au „ a: aud = ad (fol. 40'.)
au „ u: aud = ut (f. 45'.)
e „ ae: saepissime.
i „ y: Sc*i*cia = Scythia (semper fere).

2. Consonantium litterarum permutatio.

b pro p: o*b*timam (f. 25'.); deince*b*s (f. 48.)
b „ v: fri*b*olosa (f. 45'.); *b*esania (f. 35'.)
c „ ch: pul*c*re (f. 27'. 28'. et saepius); pul*c*ra (fol. 49.); *c*asma (f. 29.); pul*c*ritudo (f. 29.)
c „ g: a*c*mina (f. 26'.); *c*rassantis (f. 57'.)
c „ qu: relicos (f. 28'.); *c*adrupedum (f. 40.); reli*c*a (f. 40.); ali*c*a (f. 43'.); *c*am = quam (f. 45'.); *c*ondam = quondam (f. 31.); *c*os = quos (f. 35.); anti*c*a = antiqua (f. 36'.)
c „ t et th: al*c*ior; discre*c*io; gen*c*ium (f. 32'.); iagtan*c*iam = iactantiam (f. 37'.); Sci*c*ia = Scythia (saepius).
cc „ x: e*cc*ercent = exercent (f. 40.)
ch „ c: corus*ch*ans (f. 27'.); *ch*ampos (f. 39.)
ch „ h: ni*ch*ilo (semper fere); mi*ch*i (semper fere) etc.
ci „ u: lug*ci*bria = lugubria (f. 35. in.)
d „ t: accepera*d* (f. 27.); corruera*d* (f. 27.); induca*d* (f. 28'.); Au*d* (f. 29. 34. 39' saepius, f. 46'.); tan*d*undem (f. 29'.); appella*d* (f. 42'.); capia*d* (f. 31'.); estua*d* (f. 55'.); u*d* = ut (f. 32.)
g „ c: dra*g*unculos (f. 28'.); coa*g*ulentur (f. 29.); ia*g*tanciam (f. 37'.)
g „ i: *g*acet = iacet (f. 52'.); Acha*g*ia = Achaia (f. 52'.)
i „ g: *i*esta = gesta (f. 37'.)

Ponitur: m pro n: nu*m*cupavit (f. 25.); i*m* modum (f. 39.)
n „ m: co*n*positus (sic fere semper).
n „ t: a*n*que = atque (f. 27' bis, f. 29' etc.)
p „ b: a*p*luenda (f. 25'.); su*p* = sub (f. 26. 28.)
ph „ f: ne*ph*as (f. 35.); pro*ph*ani = profani
qu „ c: *qu*onati sunt (f. 25.); *qu*odices = codices (f. 25.); in*qu*onpositas = incompositas (f. 25.); *qu*odicibus = codicibus (f. 27'.); Si*qu*ambriam (f. 63.); *Qu*au*qu*asum = Caucasum (f. 30.); *qu*ohabitare = cohabitare (f. 33'.); *qu*alefiunt = calefiunt (f. 37.); cloa*qu*as = cloacas (f. 41'.)
s „ r: fe*s*tilis (f. 29'.); ve*s*tice = vertice (f. 30.)
s „ x: te*s*tionem = textionem (f. 38.); iu*s*ta = iuxta (f. 48'. 34' etc.)
t „ d: quicqui*t* (f. 27. 28.); re*t*dentes (f. 40.); illu*t* (f. 27.); apu*t* (f. 28'.); re*t*ditum (f. 28.); a*t*firmat (f. 29.); re*t*dunt (f. 34.); a*t* = ad (f. 26'. 32. 33'. 38'. 39. etc.); a*t*gressi (f. 33.); qui*t* = quid (f. 33'.); se*t* (semper fere); quema*t*modum (f. 34').
t „ th: ca*t*edram (f. 28'.); Sci*t*arum (f. 28'.)
t „ u: a*t*deat = audeat (f. 33'. 34' bis.)
th „ t: ci*th*ra = citra (f. 30.)
u „ t: a*u*que = atque (f. 30.)
v „ b: a*v*ortiva = abortiva (f. 41'. f. 37.)
x „ s: ameti*x*to = ametisto (f. 50'.).

3. Litterarum additiones.

ittera h additur in vocibus: *h*ac = ac (f. 25'. etc.); *h*unam (f. 25'.); *h*ictu (f. 28. 29'.); *h*imbrium (f. 30'.); *h*onerosus (f. 39'.); ab*h*ominacionibus (f. 40'.); *h*edificantes = aedificantes (f. 41'.); *h*efficaces (f. 44.); *h*odio (f. 46'.); *h*aras (f. 46'.); co*h*artate (f. 32.); *h*abissi = abyssi (f. 33'.); *h*ore = ore (f. 34.);

*h*ordinem (f. 34'.); *H*acheronis = Acheronis (f. 35.); *h*ubi (f. 48'.); *h*cosmo = cosmo (f. 64.).

Littera n additur in voce: a*n*tque = atque (f. 26' et saepius)

„ s „ „ „ : spur*s*cissimas (f. 40'.).

4. Litterarum detractiones.

„ h excidit in vocibus: *u*nc (f. 29'.); tra*e*re (f. 29'.); detra*u*nt (f. 30.); repraee*n*dimus (f. 30'.); *a*bitatores (f. 39'.); ini*a*ntibus (f. 34.); *o*rribili (f. 34.); *a*sta = hasta (f. 35.)

„ n excidit in vocibus: i*s*tituit (f. 25. bis); i*s*tituta (f. 25'.); co*s*tructa (f. 36'.)

„ s excidit in voce: *t*ructura = structura (f. 27.)

„ u „ „ „ : pingi*s*simis = pinguissimis (f. 29'.).

Saepissime deinde ultima vocis aut syllabae littera excidit, si sequens vox aut syllaba eadem littera incipit; cuius rei exempla haec sunt: val*d* et (fol. 35.); ign*i* spirans (f. 25'.); *e* tam = et tam (f. 26'.); co*m*ixtim (f. 27.); co*m*ixto (f. 27.); a*s*erunt (f. 28.); tract*u* maris = tractu*m* maris (f. 30.); di*f*icile (f. 40.); pulche*r*imum (f. 40.); tantu*m*odo (saepius); solis *p*eculo = solis speculo (f. 43.); pos*t*emporis = post temporis (f. 49.); ina*c*essibiles (f. 38'.); li*t*eratura, li*t*era (sic semper); a*p*endices (f. 28'.).

Eodem modo saepius litterae consonantes duplicantur, scilicet in vocibus: a*c* conditore = a conditore (f. 27.); re*dd*itum (f. 28.); i*m*mitare (f. 49.); ine*n*narrabilem (f. 29'.); a*s*septentrione (f. 29'.); o*p*pulentam (f. 29'.); au*t*tumans (f. 30.); incu*t*tit (f. 39'.); co*m*medunt (f. 40.); mu*l*lta (f. 46.); la*c*cu (f. 42'.); i*m*maginem (f. 38'.); fie*r*ri (f. 43'.); assu*m*munt (f. 43'.); assu*m*mitur (f. 43'.); a*c*cerrimo (f. 44.); A*p*polline (f. 54.).

Animadvertas deinde rationem qua voces atque syllabae dirimuntur, cuius exempla sunt: „observares || et“ pro observare | set (fol. 33.); „mo || enia“ pro moe-nia (f. 50'.); „Appoli; Neque“ pro Apollineque (f. 54'.).

Accentus denique perpauci tantum in libro nostro inveniuntur, scilicet inscripti vocibus: fáceret (f. 29'.); melliflua (f. 50'.); suósque (f. 57.).

2. Codex Lugduno Batavus Vossianus, Latinus in Quarto, 113. signatus olim 84, saeculi XII. foliorum 90, membranaceus [271]).

Codex nitidissime scriptus est; in margine fol. 90'. a manu librarii legitur „Liber S. Benigni D'" id est: Liber S. Benigni Divionensis. Eadem pagina scribae nomen exhibet, nam in fine haec adiecta sunt:

isi istut crisit ugo au [= istud scripsit Hugo auctor (?)]

et infra legimus: „Ille lina . sumtui de[...]s florebunt".

In margine superiore folii 66'. a manu recentiori hoc adnotatum est:

anno dm̄ M CC LXXX.

Emendationes quae in Cosmographia passim occurrunt a prima librarii manu additae videntur. Singulae paginae 38. versus continent.

Codicem, etsi ab una manu exaratus est, tamen olim in quatuor partes divisum fuisse, membranarum colore evidenter demonstratur. Quare priorem librum constituunt fol. 1—38'. folium primum rect. inscriptum est „fol. 50.", ita ut 49. folia excidisse facile credamus. Daretis Phrygii historia Troiana (fol. 39—46'.) alium librum olim constituit, cuius tamen initium desideratur. Fol. 39. signatum est „Dares Frigius pag. 129." Tertium codicem efficiunt fol. 47—70'; post fol. 63. aut unum folium aut plura exciderunt. Quartus denique codex (fol. 71—90'.) geographiam anonymi auctoris complectitur.

Hunc librum ipsi excussimus.

---

271) Hunc codicem, signatum: Isaaci Vossii 2409. 84. laudant „Catalogi librorum MSS. Angliae et Hiberniae in unum collecti" etc. Oxoniae 1697. fol. tom. II, p. 65. A. et in Biblioth. Bibliothecarum tom. I, p. 679. B. column. 1. Montefalconius. cfr. etiam Pertz, Archiv etc. tom. VII, p. 136.

Insunt: fol. 1 — 30. Ethici Cosmographia quae incipit: INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI ETHICI PHILOSOPHI ATQVE SOPHISTAE. I. „Liber Ethico translato philosophico editú oraculo a Hieronimo prbro delatum ex Cosmographia id ęst mundi scriptura.

II. De informe materia.
III. De orbe condita.
IV. De gentibus quae vetus testamentum non habent.
V. De artium plurimarum instrumenta.
VI. De navibus ignotis et eorum argumenta.
VII. De insulis gentium plurimarumque arcium.
VIII. De questionibus quae alia scriptura non narrat.
IX. De terra et aquarum decursu vel venis aquarum.
X. De flatu ventorum et aquarum motione.

EXPLICIVNT CAPITVLA INCIPIT DE INFORME MATERIA.

„Philosophorum scedulas sagaci indagatione investigans!... ORIGINEM TRAXIT"; — fol. 30[1] — 38[1]. Historia Apollonii regis Tyri: „Fuit quidam rex Antiochus nomine a quo ..... et hac arte ampliabo pecuniam"; reliqua exciderunt; — fol. 39 — 46[1]. Historia Troiana Daretis Phrygii, quae omissis quae antecedebant incipit: „dies festus erat. his diebus quibus Alexander insulam Cethaream venit etc. .... Palamonem. Epistrophum. Serdium". EXPLICIT. I; — fol. 47 — 70[1]. varia scripta S. Augustini et aliorum; — fol. 71 — 90[1]. Anonymi Galli liber de situ orbis.

Codex in plurimis consentit cum cod. Lipsiensi, sed ita tamen ut et multa huius vitia in illo desiderentur, et nonnumquam noster optimorum codicum lectiones sit sequutus. Quare ex cod. Lipsiensi minime descriptus est, praesertim quum lacuna quam unus omnium ille habet, in nostro expleta sit. Accedit, quod initio Cosmographiae capitula praemittit, qua in re codices Parisienses duo (4808. antea Pithuanus, et 4871. antea Thuaneus, de quibus infra disputabimus) cum nostro consentiunt; hi ergo for-

tasse novum librorum manuscriptorum ordinem constituent.

Denique si de orthographia codicis pauca afferenda sunt, habet:

Quur = cur; *h*ima (fol. 1'.), co*h*arcendi (f. 2'.), *h*ac = ac (f. 2'. et saepius), ab*h*ominationibus (f. 6.), in*h*ibi = inibi (f. 8.), in*h*ertem = inertem (f. 14.), ex*h*orta = exorta (f. 14.), iudi*t*io (f. 1', 2. etc.), so*t*iorum (f. 16.), an*c*xietas (f. 2'.), A*c*cheron (f. 13'.), A*c*cheronis (f. 14.), t*h*onitruum (f. 7'.), tro*g*anica obsidione (f. 12.), distin*c*xit (f. 12', 20.), ph*y*losophorum (f. 13.), Cymera (f. 13'.), meme*t* *t*ipsum (f. 13.), impetu*s* subponentes = impet*u* subponentes (f. 17'.), adiuv*a*sset (f. 13.), *quo*habitare (f. 13.), *quo*nicere = coniicere (f. 19'.), *quo*altum = coaltum (f. 20'.), *quo*aluit = coaluit (f. 21'.), A*c*ceron (f. 13.), incu*c*iunt = incu*t*iunt (f. 18'.), E*o*nomius = Eunomius (f. 13.), ge*u*metrici (f. 19.), ex*i*liens = exsiliens (f. 20'.), et alia multa quae enumerare longum est.

3. Hoc loco denique recensendus est Cod. Vaticanus Palatinus 1357. saec. XIIII. membranac. qui praeter alia multa[272]) continet: „Excerpta de Ethico Cosmographo cata (sic!) id est secundum Ieronimum“, (fol. 123—124. verso). Nihil autem inest, nisi sententiae quaedam ex Ethico descriptae. Hunc librum L. Bethmann nostra gratia exscripsit: eum nullius pretii esse cognovimus.

§. 4.

DE LIBRIS MANVSCRIPTIS D'AVEZACII.

Libri manuscripti, quibus in edenda Cosmographia Ethici D'Avezacius nuper usus est, quamquam temporum angustiis impediti de indole eorum hucusque certi nihil af-

---

272) vide supra pag. 37.

ferre possumus, tamen hoc loco paucis nobis enumerandi erunt. Sunt autem sequentes quinque[273]):

1. Cod. Parisiensis Biblioth. Nation. 4808, olim Moissiacensis, deinde Pithuanus, postea Thuaneus, tum Colbertinus 2565, membranaceus, in folio.

Inest praeter alia multa (de quibus cfr. supra pag. 21. et 75.): Ethici Cosmographia ab Hieronymo translata, saec. XI. vel XII. exarata. D'Avezacius hunc librum in editione Cosmographiae signavit littera P. In fronte exhibet capitula eadem, quae habet cod. Lugd. Bat. Vossian. Lat. in 4°. 113. saec. XII. Eum in Bibliotheca Bibliothecarum tom. II, pag. 961. B. columm. 1. laudat Montefalconius[274]).

2. Cod. Parisiensis Bibl. Nation. 4871. antea Thuaneus, tum Colbertinus, in folio, membranaceus, s. XI.

Continet praeter alia[275]): fol. 104. Ethici Cosmographiam quae incipit „CAPITVLA EIVSDEM LIBRI IN QVO CONTINENTVR VIIII. etc. ... A RELIQVIS SAPIENTIBVS ORIGINEM TRAXIT“. Eum D'Avezacius signavit littera T.

3. Cod. Parisiensis Bibl. Nation. 8501. A, antea Colbertinus, tum Claudii Dupuy, saec. XIII, membranaceus, fol. minor. (D'Avezacii cod. D.)

Codex, si quidem D'Avezacio credimus[276]), ad eandem familiam pertinet ad quam proxime antecedens, capitula

273) Sextum enim, scil. Cod. Mus. Britannici, Cotton. MSS. Vespasian, B. X. saec. X. iam supra enumeravimus, pag. 101, sq.

274) De hoc libro D'Avezacius pag. 452. a. fin. „Le manuscrit de Pithou (no. 4808. de la Bibliothèque Nationale de Paris) s'en rapproche le plus (scil. au MS. Cottonien, Vespas. B. X. saec. X.), mais il est incomplet; l'ordre des feuillets, autrefois intreverti, y a été rétabli, sur nos indications, lors d'une reliure nouvelle“.

275) cfr. ea quae de hoc libro suprà pag. 36. adnotavimus.

276) l. c. pag. 452. fin. „Le Manuscrit Thuanéen (4871.) et celui

tamen desiderantur, nec non multi versus omissi sunt, cfr. Ethic. pag. 538. (edit. D'Avezacii) vers. 19. quo loco inde a voce: „opulentissima“ usque ad vocem „Haec omnia“ etc. (Ethic. pag. 539, 13.) lacuna est.

Explicit ita[277]): „explicato catalogo compescuit. EXPLICIT LIBER AETHICI PHILOSOPHI COSMOGRAGHI“.

4. Cod. Parisiensis Biblioth. Nation. 7561. membranaceus, in 4°, saec. XI. antea Baluzianus. (D'Avezacii cod. B.)

Inest praeter alia: Ethici Cosmographiae fragmentum, quod incipit: „in iaculis crepitantium“ etc. [pag. 515, 3. edit. D'Avezacii] ..... „gressus decem et octo“. [pag. 525, 15. ed. D'Avez.]

5. Cod. Lugd. Batavus Vossianus 77, antea signatus 104.

Inest fragmentum Cosmographiae, quod incipit: „gentes stultissimas“ etc. [apud D'Avez. pag. 472, 2.] ...... „vel ultionem peccatorum credimus adfuturam[278]); praedicto vero bitumine Alexander Caspias portas munivit“.

D'Avezacius hunc codicem littera signavit V.

---

de Dupuy (nro. 8501.A.) appartiennent à une autre série, plus defectueuse (scil. quam cod. Paris. 4808. antea Thuaneus), mais où se rencontrent pourtant quelques leçons bonnes à recueillir; ils offrent tous deux une même intreversion do matières, née de la transposition des cahiers d'un archetype commun“.

277) cfr. D'Avezac. pag. 539, vers. 19.

278) cfr. D'Avez. pag. 484, v. 8. Verba: „praedicto vero ... munivit“ librarius de suo addidit.

§. 5.

RELIQVI CODICES.

Praeter codices manuscriptos numero XIV. de quibus supra disputavimus, alios triginta indagavimus, qui aut etiam nunc in Bibliothecis latent, aut temporum vice deperditi sunt. Quos omnes, quo facilius possint perlustrari, ordine alphabetico recensendos nobis esse putavimus. Sunt igitur libri manuscripti fere hi.

15. Cod. Augiensis, de quo supra pag. 35. disputavimus, conscriptus ante annum 822 eo quod vetus ille librorum Augiensium catalogus, qui nostrum quoque continet, intra annos 787. et 822. ab Reginberto monacho compositus est. (cfr. Trudperti Neugart Episcopatum Constantiensem etc. Partis I. Tomum I. 1803. 4°. pag. 548.)

Inerat praeter alia multa: „Et liber ethicae Hieronymi de Cosmographia"; ubi nunc sit ignoramus.

16. Cod. Boxhornii quem laudat in „Originibus Americanis" Georgius Hornius [279]), cfr. lib. III, cap. XV. pag. 199: „Ethicus Cosmographus antiquus, nondum editus, cuius antiquissimum codicem in membranis scriptum bibliotheca Cl. Boxhornii, amici nostri summi, communicavit" etc.

Ubi lateat ignoramus.

17. Cod. Cantabrigiensis II, 18. saec. XV. membranaceus in folio.

Inest: „Ethici philosophi Cosmographia". Post operis finem fol. 103'. adiecta sunt haec: „Qui hunc librum legit, intelligat Ethicum philosophum non omnia dixisse, quae hic scripta sunt: sed Ieronimus qui eum transtulit,

279) Georgii Hornii „de originibus Americanis libri quatuor". Hagae Comitis 1652. 8°. Lugd. Batav. typis Philippi de Croy.

sententias veritati consonas ex libro eiusdem excerpsit, et easdem testimoniis Scripturae nostrae confirmavit. Non enim erat iste philosophus christianus, sed ethnicus, ex professione academicus. Easdem vero sententias dixit Achilmus (sic!) in suo libro" [280]).

18. Cod. Centulensis quem laudat vetus illa „descriptio de thesauro et rebus seu vasallis Sancti Richarii" anno 831, Indictione IX, iussu Ludovici Pii Imperatoris facta [281]).

Inerant praeter alia (de quibus vide supra pag. 73.): „Aethicus de mundi descriptione".

Hic autem liber, utrum Ethicum nostrum an Iulii Honorii potius Cosmographiam continuerit, incertum est; tamen Ethicum infuisse eam ob causam crediderim, quod saepius in uno eodemque libro exaratum esse librum eius vidimus et Daretis Phrygii historiam Troianam. cfr. cod. Lugd. Batav. Vossian. Lat. in quart. 113.

Ubi nunc lateat codex ignoramus.

19. Cod. Cisoniensis cuius meminit in testamento suo, anno 837. condito, Sanctus Everhardus comes Cisoniensis [282]). Dicit enim l. c. pag. 22. A. init.: „In primis volumus ut Unroch habeat ... et Evangelium, et librum bestiarum, et Cosmographiam Ethici philosophi" etc.

Ubi nunc lateat ignoramus.

---

280) cfr. D'Avezac. l. c. pag. 237, not. 1.

281) cfr. „Chronicon Hariulfi Monachi S. Richarii Centulensis lib. IV." ubi videndus est lib. III, cap. 3. (apud D'Achery, Spicilegium etc. Nova Editio. tom. II. Parisiis 1723. fol. pag. 311. B. Primae editionis tom. I, pag. 439.)

282) cfr. Auberti Miraei Cathedralis Ecclesiae Antverpiensis Decani Opera diplomatica et historica etc. Editio secunda Ioh. Francisci Foppens, Bruxellensis. Tom. I. Continens „Codicem Donationum piarum, Diplomata Belgica, Donationes Belgicas et Notitiam Ecclesiae Belgii". Bruxellis 1723, in folio. ubi vide cap. XV. (pag. 19—22.): Testamentum Everardi Comitis, qui fundavit Cisoniensem Ecclesiam in Dioecesi Tornacensi, anno 837. conditum".

20. Cod. Collegii Iesuitarum Claromontanorum 694. membranac. forma octava, saec. X. exaratus ac non compactus, foliorum 54 [283]).

Inest: „Ethici Philosophi et Sophistae liber". Ex novem capitibus quibus constat hoc opus sex tantum priora supersunt. Initio legitur: „Liber Ethico translato philosophico editus oraculo ab Hieronymo presbytero delatum ex Cosmographia, id est mundi scriptura".

Codex in auctione publica librorum collegii Claromontani, die 19. Mart. 1764. sqq. constituta, emptus est a Ioanne Meermanno, in cuius schedis numero 649. signatus postea asservabatur [284]). Sed post Meermanni mortem intra dies 8. Iun. et 3. Iul. anni 1824. viginti florenis a V. Cl. Thoma Phillipps equite comparatus [285]), hodie sub signo 1788. [286]) Bibliothecae Mediomontanae in Britannia occidentali pars est.

21. Cod. Dubliniensis, Trinity College, signat. 153, 13. membranaceus, in 4°, foliorum 65 [287]).

Insunt: Aethici Cosmographia; — Interpretationes nominum hebraicorum a Sancto Hieronymo vel Philone Iudaeo potius.

---

283) cfr. Catalogum Manuscriptorum Codicum Collegii Claromontani, quem excipit catalogus MSS. Domus Professae Parisiensis. Parisiis in Palatio 1764. 8°. pag. 268.

284) cfr. „Bibliotheca Meermanniana, sive catalogus librorum impressorum et codicum manuscriptorum, quos maximam partem collegerunt viri nobilissimi Gerardus et Ioannes Meermann; morte dereliquit Ioannes Meermann etc. quorum publica fiet auctio die VII. sqq. Iunii anni 1824. Hagae Comitum in aedibus defuncti". 2 Voll. 8°. ubi vide tom. II. „Manuscripti Latini; Philosophi, Histor. Naturalis Scriptores etc. in octavo". pag. 113. nro. 649.

285) cfr. „Prix des livres de la Bibliothèque Meermannienne, vendue à La Hague, depuis le 8. Juin iusqu' et compris le 3. Juillet 1824." 8°. p. 171.

286) cfr. Haenel, catalogi librorum MSS. etc. Lipsiae 1830. 4°. pag. 859. init.

287) cfr. „Catalogi libror. manuscript. Angliae et Hiberniae in unum collecti" etc. Oxoniae 1697. fol. tom. II. — et Pertz, Archiv etc. tom. VII, pag. 104.

22. Cod. Fuldensis antiquissimus, nro. 15[288]).
Inerat: „Liber Aethici Cosmographi abs Hieronymo translatus“.
Ubi nunc lateat ignoramus.

23. Cod. Bibliothecae Dom. Hautini, quem laudat in „Glossario ad scriptores mediae et infimae graecitatis“ (Lugduni 1688. 2 Voll. in folio) Ducangius. Vide tom. II. Omissa et Addenda, pag. 109. s. v. *Κορκόνιλος*: „Aethici Cosmographia manuscripta interprete Hieronymo, liber fictitius et nullis frugis, ex Bibliotheca Dom. Hautini: „Strutionum vel corcodillorum et scorpionum genera sunt inter alias gentes“ [289]).

24. Cod. Haenelii Lipsiensis quintum tantum Cosmographiae caput continet, quod titulum praefert: „De navium indagatione“ [290]). De hoc libro cfr. D'Avezacium l. c. pag. 234. not. 3.

25. Cod. Bibliothecae in Aedibus Iacobaeis, signat. 8453, 731 [291]).
Inest: „Aethici Cosmographia“.
Ubi nunc lateat ignoramus.

26. Cod. Laurissensis Sancti Nazarii[292]).
Inest: „Liber Aethici Cosmographi in uno codice“.
Ubi nunc sit ignoramus.

---

288) cfr. Spicilegium Romanum (ed. Angelo Mai) tom. V. Romae 1851. 8°. pag. 215.

289) cfr. Ethicum pag. 472, v. 3.

290) cfr. Ethicum pag. 485—490.

291) cfr. „Catalogi librorum MSS. Angliae et Hiberniae in unum collecti“ etc. Oxoniae 1697. fol. tom. II, pag. 245.

292) cfr. Spicilegium Romanum tom. V, pag. 161—200: „Breviarium codicum Monasterii S. Nazarii in Laurissa seu Laureshamensis ad Rhenum. Ex pervetusto codice Bibliothecae Palatinae Vaticanae, qui fuit olim eiusdem monasterii“. Ubi vide pag. 163. §. VI, 2.

27. Cod. Londinensis Musei Britannici Biblioth. Reg. 15. B. II, membranac. in 4°, saec. XII. exaratus [293]).

Insunt: Iulii Solini de mirabilibus mundi liber; — Aethici Cosmographia. Codex exscriptus est, ut videtur, ex libro Oxoniensi, Biblioth. Bodleianae, signat. 5137, 25 [294]). Eum laudat in Biblioth. Bibliothecarum, tom. I, pag. 631. E. column. 2. Montefalconius.

28. Cod. Londinensis Musei Britannici Biblioth. Reg. 15. C. IV, membranac. in 4°, saec. XII. exaratus [295]).

Insunt: C. Suetonii Tranquilli, de vitis XII. Caesarum liber. Deest ultimum folium; — Aethici Cosmographia ex versione S. Hieronymi; — Flavii Vegetii Epitome rei militaris, IV. libris.

Idem liber est quem laudat in Biblioth. Bibliothec. tom. I, pag. 632. B. column. 1. Montefalconius.

29. Cod. Biblioth. Publicae Universitatis Lugduno-Batavae 69 membranaceus, olim Iosephi Scaligeri [296]), proba manu exaratus.

Insunt: „Edicta Aethici Philosophi Cosmographi".

30. Cod. Marchianensis [297]).

Insunt: S. Hieronymi Commentarii in Psalmos; — „Cosmographia Ethici".

---

293) cfr. „A Catalogue of the MSS. of the King's Library, an Appendix to the Catalogue of the Cottonian Library" etc. By David Casley. London 1734. 4°. pag. 239.

294) cfr. D'Avezacium l. c. pag. 235. init.

295) cfr. Casley, „A Catalogue of the King's Library" etc. pag. 242.

296) cfr. Catalog. Librorum tam inpressorum quam manuscriptorum Bibliothecae Publicae Universitatis Lugduno-Batavae. Lugduni apud Batavos 1716. fol. pag. 343. B.

297) cfr. „Voyage Litteraire de deux religieux Benedictins de la Congregation de S. Maur" (Edmundi Martene et Ursini Durandi) etc. Paris 1724. 4°. pag. 92.

31. Cod. Massiliensis, S. Victor. 410, saec. XII. exaratus; inest: „Aethicus de Cosmographia“.

32. Cod. Montis Pessulani[298]), Schol. Medic. H, 374. Collect. Bouhierian. D, 62. saec. XI,[299]) membranaceus in 4°.

Insunt: fol. 1—54¹. Ethici Cosmographia, quae incipit: „Incipit liber Cosmographi Ethici philosophi stillo editus et ab Hieronimo presbitero in latinum translatus. Philosophorum scedulas sagaci indagacione investigans“ etc.; — fol. 55—59¹. Incipiunt curiositates urbis Romae regionum XIIII. cum breviariis suis. „Regio prima porta Capena“ etc.; — fol. 60. „Beati igitur Methodii episcopi et martyris dicta de greco in latinum transferre sermonem curavi“ etc. Est Methodii sermo „de consummatione saeculi“, cum praefatione.

33. Cod. Mortlakiensis, Ioannis Dee[300]), 80, membranaceus in folio.

Inest: „Ethici philosophi Cosmograghia per D. Hieronymum Stredonensem lat. conversa“.

34. Cod. Oxoniensis, Bibl. Bodleianae, classis VI, cod. Thom. Bodleii, F. 3. nro. 2389. 22,[301]) membranac.

---

298) hoc est „Montpellier“.

299) cfr. „Catalogue général des manuscrits de Bibliothèques Publiques des Départements, publié sous les Auspices du ministre de l'Instruction publique. Tome premier. Paris, Imprimerie nationale“. 1849. 4°. pag. 435. — Sed cfr. Haenel „Catalogi librorum manuscriptorum“ etc. Lipsiae 1830. 4°. pag. 236. qui codicem exaratum esse scribit saec. XIV. — cfr. etiam Pertz, Archiv etc. tom. VII, pag. 204.

300) cfr. The Private Diary of Dr. John Dee, and the Catalogue of his Library of MSS. from the original MS. in the Ashmolean Museum at Oxford, and Trinity College Library, Cambridge. Edited by James Orchard Halliwall Esq. London, printed for the Camden Society. 1842. 4°. pag. 75.

301) cfr. „Catalogi libror. MSS. Angliae et Hiberniae in unum collecti“ cet. Oxoniae 1697. fol. pag. 123. A. tom. I.

Insunt: Iulii Solini Collectanea rerum mirabiliorum; — Ethici Cosmographia". Hunc codicem laudant Guil. Burton[302]), Paulus Vinding[303]), de Scheyb[304]).

35. Cod. Oxoniensis Bibl. Bodleian. classis IX, cod. Francisci Iunii, 5137, 25. membranac. in folio[305]).

Insunt: „Ethici Cosmographia ab Hieronymo translata"; — Alcuinus ad Carolum de rhetorica et philosophia; — S. Isidori epistola ad Massonem episcopum; — Alcuini dialectica; — Epistola Hieronymi de generibus musicorum ad Dardanum; — Glossarium Latino-Francicum; — Expositio in fidem catholicam; — Fides catholica Hieronymi; — Expositio orationis Dominicae; et XII. alii tractatus varii argumenti[306]).

36. Cod. Oxoniensis, Collectaneorum Richardi Iamesii, 28. I. in 4°, membranaceus, foliorum 181[307]).

Praeter alia continet: 9) fol. 119—121. „Ex libro Ethici Cosmographi".

37. Cod. Romanus Barberinus 816, forma octava, membranaceus.

Inest: „Aethicus ab Hieronymo translatus". cfr. Bibliothecam Librorum Manuscriptorum Italicam etc. congessit Fridericus Blume. Gottingae 1834. 8°. pag. 183.

Huius codicis partem nostra gratia excussit V. Cl. Ludov. Bethmann: consentit fere cum cod. Vossiano 113. de quo supra disputavimus pag. 117.

---

302) „A Commentary on Antoninus's Itinerary" etc. cfr. supra.

303) In Epistola ad Ioh. Deckherrum etc. l. c. cfr. supra pag. 97.

304) ad Tabulam Peutingerianam, Vindobon. 1753. pag. 12.

305) cfr. „Catalogi libr. MSS. Angliae et Hiberniae" etc. tom. I, 251. A.

306) De hoc codice „Georgii Hickesii catalogum librorum septentrionalium" laudat: Don Antonio de Leon Pinelo in „Epitome de la Bibliotheca oriental y occidental nautica y geografica". Madrid 1738. 3 Voll. fol. vide tom. III, column. 1214.

307) cfr. „Catalogi librorum MSS. Angliae et Hiberniae" etc. tom. I, pag. 262. B.

38. Cod. Romanus Vaticanus, Bibl. Reginae Suecicae, 1969[308]).

Insunt: Palladius de re rustica; — Ethici philosophi Cosmographia a S. Hieronymo in Latinum translata; — S. Augustinus contra Felicianum.

39. Cod. Roman. Vaticanus, Biblioth. Alexandri Petavii, 333.

Inest: „Ethici philosophi Cosmographia".

Cfr. Montefalcon. Biblioth. Bibliothecarum tom. I, pag. 88. C. column. 1.

40. Cod. Roman. Vaticanus, Biblioth. Alexandri Petavii, 917.

Inest: „Ethici philosophi Cosmographia".

Cfr. Montefalcon. l. c. tom. I, pag. 88. C. column. 1.

41. Cod. Roman. Vaticanus, Biblioth. Alexandri Petavii, 1035.

Inest: „Ethici philosophi Cosmographia interprete Hieronymo".

Cfr. Montefalcon. l. c. tom. I, p. 88. C. column. 1.[309])

42. Cod. Salisburgensis, Sancti Petri.

Inerant praeter alia: Synonima Ciceronis; — Liber Hethicus; — Genilogus Hieronymi.

Hunc codicem invenimus in catalogo librorum manu-

---

308) cfr. Montefalcon. Biblioth. Bibliothec. tom. I, p. 57. C. column. 2.

309) Codices Alex. Petavii in Sueciam allati, post omnes fere cum Reginae Suecicae Bibliotheca coniuncti sunt; pars tamen etiam nunc in Suecia asservatur. Quare codicum duorum antecedentium unus fortasse idem est ac ille, quem antea laudavimus: scilic. Vatic. Christina, 1969. Ceterum dubito num potius dicendum sit, duos saltem libros eosdem esse quos ex Bibliotheca Isaaci Vossii Lugdunum Batav. transmissos supra descripsimus pag. 111 et 117. Vossius enim non unum codicem manuscriptum Reginae Suecicae furto sese subduxisse, nescio simpliciusne an impudentius, gloriatur in epistola ad Nicol. Heinsium quam laudat Dudik, Forschungen in Schweden für Mährens Geschichte, Brünn 1852, 8°. p. 111. — Codices Petavii in Vaticano nuper frustra quaesiti sunt a Lud. Bethmanno.

scriptorum monasterii S. Petri Salisburgensis, saeculo duodecimo exeunte exarato, qui continetur in eiusdem monasterii codice signat. IX, 3: in fol. saec. XII.[310]) Ex hoc libro catalogum descripsit V. Cl. Guilelmus Wattenbach Philos. Dr.

43. Cod. Claudii Salmasii, quem ab Salmasio accepit Martinus Opitzius. Ita enim ille[311]): „Sic Aethicus MS. diversus multifariam ab edito hactenus, cuius mihi copiam fecit Cl. Salmasius, numquam sine honore dicendus".

Apographum erat, ut videtur, codicis Parisiensis 4871. (antea Thuanei) saec. XI, nam in Exercitationibus Plinianis pag. 770. Salmasius: „Aethicus alius est, Histricus Sophista, quem de Graeco translatum ab Hieronymo et nondum editum vetus idem liber habet ex Bibliotheca Thuanaea".

44. Cod. Bibliothecae Ecclesiae Cathedralis Sarum[312]), signatus A, 930, 4.

Inest: „Ethicus Philosophus".

Cfr. catalog. librorum manuscriptorum Angliae et Hiberniae in unum collect. cum indice alphabetico. Oxoniae 1697. in fol. tom. II, pag. 23. A.

Haec sunt, quae de libris manuscriptis Cosmographiae indagavimus; quum enim de longe maiori eorum parte nihil fere nisi nomen ipsum ad nos pervenerit, certi quidquam de codicum natura et qua coniuncti sunt affinitate hucusque affirmare non possumus.

Quare his et talibus in posterum dilatis iam ad aliam disputationis partem transeamus, in qua de Cosmographiae Ethici interprete Hieronymo agendum erit.

310) cfr. Pertz, Archiv etc. tom. X, pag. 616. init.

311) ad Rhythmum de S. Annone Col. Archiepiscopo saepius laudatum (Dantisci 1639. 8°.) pag. 41.

312) hodie „Salisbury" in Britannia.

INDEX LIBRORVM.

28. Codex Oxoniensis, Bibl. Bodleian. Cod. Franc. Iunii, nro. 5137, 25. pag. 128.
29. „ Oxoniensis, Collectan. Richardi Iamesii, 28. I. pag. 128.
30. „ Parisiensis Bibl. Nation. 4808. (Pithuanus) s. XI. pag. 120.
31. „ „ „ „ 4871. (Thuaneus) s. XI. pag. 120.
32. „ „ „ „ 7561. (Baluzianus) s. XI. pag. 121.
33. „ „ „ „ 8501, A. (Dupuyanus) s. XIII. pag. 120.
34. „ Romanus Barberinus 816. pag. 128.
35. „ „ Vaticanus, Christina 1260, s. X. in. pag. 100.
36. „ „ „ „ 1969, pag. 129.
37. „ „ „ Bibl. Alex. Petavii 333. pag. 129.
38. „ „ „ „ „ „ 917. pag. 129.
39. „ „ „ „ „ „ 1035. pag. 129.
40. „ „ „ Palatinus 1357. s. XIII. pag. 119.
41. „ Salisburgensis Scti. Petri pag. 129.
42. „ Claudii Salmasii pag. 130.
43. „ Sancti Galli 133. s. IX. pag. 109.
44. „ Biblioth. Eccles. Cathedralis Sarum, A, 930, 4. pag. 130.

LIBER TERTIVS.

DE SANCTO HIERONYMO COSMOGRAPHIAE ETHICI INTERPRETE.

CAPVT I.

COSMOGRAPHIAE LOCI PRO S. HIERONYMO PVGNANTES RECENSENTVR ATQVE DIIVDICANTVR.

ETHICI Cosmographiam uno librorum manuscriptorum omnium consensu e graeco in latinum translatam esse accepimus a Sancto Hieronymo presbytero. Attamen quum natura libri talis sit, ut magna eius pars vix ullum sensum habere videatur, nec non multa ibi inveniantur, quae summo illo viro sane indignissima sunt: qui accuratiorem eius notitiam sibi comparaverant, ii de Sancto Hieronymo Cosmographiae interprete dubitabant. Quare Ioannes Picus Mirandulae Concordiaeque Comes [313]), Iosias Simler [314]), Gerhardus Ioann. Vossius [315]), Du Cangius [316]), alii, fictitium esse librum contenderunt.

Quae quum ita sint, priusquam de auctore ipso disputabimus, videndum est, si forte ex libro eius certum aliquid de translatore indagari poterit.

§. 1.

DOCTORVM VIRORVM ARGVMENTA CONTRA S. HIERONYMVM COSMOGRAPHIAE INTERPRETEM PVGNANTIA REFVTANTVR.

Duo potissimum argumenta ab iis afferuntur, qui S. Hieronymum Cosmographiae translatorem extitisse negant: corruptissimus scilicet libelli sermo, et incredibilia multa

---

313) cfr. supra pag. 95. nro. 12.

314) cfr. supra pag. 95. nro. 13.

315) in libro De Historicis Latinis pag. 727.

316) in Glossario mediae et infimae graecitatis. Lugduni 1688. fol. tom. II. Omissa et Addenda pag. 109. s. v. Κορκόνιλος.

quae pro veris ab auctore nobis venditantur. Quae argumenta, quantam vim et auctoritatem habeant iam videndum erit.

I. Itaque si priorem illam causam respicimus, in tam corrupto codicum manuscriptorum statu haud admirandum est, si linguae Hieronymianae vestigia fere nulla occurrunt. Ita autem a librariis indoctissimis omnia depravata sunt, ut (quod iam supra exposuimus) codices secundi ordinis ingentibus vitiis scateant, et ne ea quidem in hisce libris comprehendi possint, quae in melioris notae libris facile leguntur. Quare haud dubitamus in tanto librorum numero non unum solum codicem latere, ex quo Ethici Cosmographiae magnus fructus comparandus sit.

Neque vero talibus subsidiis adiurti impedimenta omnia expediemus: quam rem non magis credo nobis proventuram esse, etsi ipsum S. Hieronymi exemplar nunc adesset. Nam vitiis etiam omnibus expunctis tamen nonnulli loci supererunt, quos „ne Apollini ipsi explicandos“ [317]) ob eam causam credimus, quia intelligi eos auctor ipse noluit.

Eiusmodi fortasse ea sunt, quae leguntur [318]) pag. 477, v. 7. sqq.; pag. 481, v. 8. sqq.; pag. 488, v. 1. sqq.; pag. 493, v. 23. sqq.; pag. 495, v. 3. sqq.; pag. 496, 24. sqq.; pag. 512, v. 8. sqq.; pag. 514, v. 21. sqq.; pag. 515, v. 17. sqq.; pag. 517, v. 9. sqq.; pag. 518, v. 7. sqq.; pag. 520, v. 14 —522, v. 11; pag. 527. extr. sqq.; pag. 529, v. 9. sqq.; pag. 530, extr. — 531, v. 18.

Hoc vero ut statuamus gravissimis argumentis adducimur. Multis enim Cosmographiae locis sive Hieronymus, sive quicumque alius eam interpretatus est, de obscuris Ethici dictis et aenigmatibus eius disputat, quae tam abscondita fuisse dicit, „ut nullus hominum legere vel deserere nodos posset“ [319]). Scribit autem p. 468 post med.: „Ethicus se dicit

317) cfr. Ryckium in Vindingii epistola ad Deckherrum l. c. pag. 193.

318) Numeri paginarum et versuum inde ab hoc loco editionem D'Avezacii respiciunt.

319) cfr. pag. 511, v. 6. sqq.

... illic per annum stationem fecisse, et disputasse cum Aurelio philosopho et Harpocrate, et non valuerunt aliqua enigmata eius dissolvere". Et pag. 470, v. 2: „Multa quidem et alia difficilia in enigmatibus suis scripsit de his insulis" etc. Pag. 490, post med.: „et ea metrico et prosodico stylo graecis characteribus distinxit in enigmate rhetorico". Pag. 494, v. 7: „Refert enim idem sapiens in enigmatibus suis" etc. Pag. 496 a. fin.: „Unde parabolam enigmatibus suis assumptam ait" etc. Pag. 500, v. 4: „Ille ex parte gentilium litteras explanare nimio enigmate contentus". Ibidem v. 6: „nullusque tam obscura illius valde audeat non a toto sed a parte retinere ... Quamquam ... tandem aliquando nimium taedium passus, aegrotationes multas et non modicas philosophorum ambages mihi fecerunt. Itaque non tantum meae causae fuit eorum palpare et enucleare paginas ut in aliquid rei veritatis prodessem, quantum" .... Pag. 511, v. 8: „Suosque apices in medium positos, metrico more compositos, sua laude sibimet solus sciebat: qua in re in omni Graecia diversi interpretes qui tunc celebres varia problemata dissolvebant, artem ipsius et adinventionem nec non et propositionem enucleare non valuerunt". Pag. 514, v. 12. sqq.: „propter quod ... Aethicus illuc, audita eius fama, advenisse se, et per annos quinque inibi stationem fecisse asserit; et in multis enigmatibus saepius ac subinde simul disputaverunt, sed in cunctis coniecturis et problematibus Aethicus superior .... et nonnulla interpretari nequiverunt" etc. Pag. 529, v. 5: „eiusque (scil. Pythagorae) assertiones idem Ethicus rethorico more styloque prosodico valde obscuro digessit".

Aenigmata Ethici extant in Cosmographia pag. 495, vers. 3. sqq.; pag. 496, v. 24. sqq.; pag. 512, v. 8. sqq.; pag. 514, v. 21. sqq.; pag. 517, v. 9. sqq.; pag. 520, v. 14. —522, v. 11; pag. 529, v. 9. sqq., cett.

Ex his omnibus apparet, Ethicum occultis suis et abstruse dictis famam sibi apud aequales comparasse, ita ut mysteriorum magis simulatorem quam sapientem eum et philosophum fuisse contendamus. In hanc autem rerum occultarum affectationem multos eiusdem aetatis philosophos incidisse, Harpocrates ille et Aurelius, Fabiusque ostendunt, qui ab Ethico — vel potius ab Hieronymo — laudantur pag. 468 a. fin.; 514, v. 10.

Quid igitur, si Cosmographiae locos illos, quos ut valde obscuros supra attulimus, et qui tot fere aenigmata quot verba nobis proponunt, non usitato et vulgari sermone scriptos esse dicimus, sed aut fictitia lingua aut dialecto quadam compositos, quales multas extitisse legimus apud Virgilium, sexti ut videtur saeculi grammaticum? [320]) Multa autem in Virgilii libro inveniuntur quae cum Cosmographia Ethici consentiunt, ita ut magnum ex eo fructum percipiamus [321]). Quin etiam pag. 128. init. Histrium quendam Hispanum „in compositione historiarum splendidae satis eloquentiae" laudat, cuius iam antea pag. 117, 6, mentionem attulit. De hoc igitur Angelus Maius l. c. in praefatione pag. XVII, et pag. XVIII initio: „Histrius hispanus historicus, aequalis Virgilii nostri, immo magister, ut videtur, pag. 127. Num est Aethicus Ister?" — Minime.

Accedit, quod Lucanus ille quem Hieronymus laudat

---

320) cfr. Angelo Mai, classicorum auctorum e codicibus Vaticanis editorum tom. V. Romae 1833. 8°. pag. 124. sqq.

321) Vide subtiliora illa grammaticorum problemata quae affert Virgilius, l. c. pag. 101. — Ceterum Hieronymi aetate scriptores extitisse, qui eodem fere modo quo Ethicus scripserunt, ita ut quae dicere vellent vix quisquam posset intelligere, ab ipso Hieronymo docemur. Scribit enim in libro adversus Iovinianum (cfr. Hieronymi Opera edid. Vallarsius, tom. II, pag. 239. A. et B.): „Quotiescunque eum legero, ubi me defecerit spiritus, ibi est distinctio. Totum incipit, totum pendet ex altero: nescias quid cui cohaereat; et exceptis testimoniis Scripturarum, quae illo venustissimo eloquentiae suo flore mutare non ausus est, reliquus sermo omni materiae convenit, quia nulli convenit". — Nonne eadem fere de Cosmographia Ethici dicenda sunt?

in Cosmographia p. 466, v. 3. et ibid. v. 7, certe alius est ac M. Annaeus Lucanus. Sic enim de Lucano Hieronymus:

„.... insulas quoque aurum gignentes et ... elephantos et hyminiones et chylixas bestiolas venenatas nimium, leones, pardos, ephipharos; quarum primus praeter istum Lucanus mentionem fecit in codicibus suis, dicens:

„„Et meridies opima aurea concordeque fulget metalla, aurea temna infusa hyminiones et chylixas, ephipharos venena fundentes . quae quamvis parvulae ut vulpes, statim leones pardosque et dracones uno ictu interimunt““.

„Unde Lucanus ait: „„Et lympha aequoris magni contiquie Gangem opopodamis . equiter ergo pennigeris hostium confligunt catervis; quaeque mater fertilis filios gignit vipereos““. Lucanus quidem ista sentiens tantundem exorsus est dicere; Ethicus vero multas bestias scribit, quae nullo modo alibi audivimus vel legimus“.

Equidem putamus fortasse eundem Lucanum iuniorem esse cuius saepe meminit Virgilius, cfr. l. c. pag. 77, 101, 103, 145. Quae res sic fere explicanda est. Legimus in Virgilio illo multa grammaticorum nomina, et in iis Catonem, Ciceronem, Horatium, Lucanum, Maevium, Terentium, Varronem atque Virgilium, quorum nemo tamen ad priscam illam classicamque aetatem pertinet, ut ipsorum prolata verba demonstrant. Quid ergo? sine dubio haec nomina adscititia sunt; eo prorsus modo quo in Caroli Magni academia, duo post saecula, fictis nominibus sese docti homines vocitarunt: erat enim Carolus „David“, Alcuinus „Flaccus“ [321 a]), Angilbertus „Homerus“, Riculfus „Damoetas“, regiae puellae Gisla „Lucia“, Guntrade „Eulalia“, ne plures nominem [322]).

Sed de his aliisque quae huc spectant alio loco accuratius disserendum erit, scilicet ubi de auctore Cosmogra-

321 a) Ita, non Samuel ut scribit Ang. Maius; cfr. Beati Flacci Albini seu Alcuini ... Opera ... cura ac studio Frobenii. Ratisbonae 1777, II. tomi in fol. ubi vide Indicem.

322) cfr. Angel. Mai, l. c. praefat. pag. XIII.

phiae ipso agitur. Hoc loco satis ducimus, si allatis argumentis comprobavimus qua potissimum ratione innumerabilia vitia et obscuriores loci in Cosmographiam irrepsisse iudicandi sint. Quae si vera sunt certe, quod ad sermonem ipsum pertinet, nullam causam vidimus cur S. Hieronymum libelli translatorem extitisse infitiemur: quippe cui neque corruptelae quae a posteris illatae sunt, neque obscuriora illa verba crimini vertenda sint quae ex Ethici libellis religiose ipse conservavit.

II. At certe in Cosmographia Ethici permulta inveniuntur quae, quum omnino incredibilia sint et somnia, ad S. Hieronymum auctorem minime reduci possunt. Concedo eiusmodi res saepissime nobis in libro Ethici occurrere, neque tamen eam ob causam Hieronymo abiudicandus est. Primum enim, id quod in tali codicum manuscriptorum statu fere accidit, magnam Cosmographiae partem haud ita plane intelligimus, ut de singulis iudicium certum edere possimus. Hoc tum demum proferendum erit quum meliorum aliquot librorum auctoritate pristinam et veram Cosmographiae formam restituerimus. Quod si umquam nobis forte contigerit spero, fore ut multa quae hodie absurda esse et inania credimus, meliorem sensum praebeant.

2. Deinde vero, etiamsi nonnulla relinquentur quibus minus assentire possumus, tamen ne ista quidem contra S. Hieronymum videntur dimicare. Scilicet non semel ille, sed sexcenties atque passim, in Cosmographia dicit, eorum quae Ethicus in libris suis protulisset multa sibi incredibilia esse visa. Quam ob causam magnam horum partem omittit: de aliis autem, etsi ea asservavit, vehementer sese scripsit dubitare. Eius generis locos invenies pag. 477 a. fin.; pag. 481, v. 15; pag. 484, vers. 19; pag. 490 a. fin.; pag. 490 extr. sqq.; pag. 492, 3. post med.; pag. 499, v. 2; ibidem v. 5.; ibid. extrem.; pag. 500, init.; pag. 502, v. 7. sqq.; pag. 507, v. 9; ibidem v. 18; pag. 513, v. 3; pag. 517, v. 2. sqq.; pag. 522, v. 16. sqq.; etc.

Quibus locis accurate perpensis libenter confitebimur

Cosmographiae translatorem, quicumque fuerit, nimiae credulitatis non solum accusandum non esse, verum etiam virum fuisse si aetatem eius respicimus κριτικώτατον. Conferas, quaeso, cum tali homine Sanctum Isidorum, qui in Etymologiarum libris sine ullo fere indicio absurdissima quaeque undique congessit, et qui multa quoque ex nostro nihil haesitans recepit. Erant autem temporum illorum ingenia ad omnia prodigiosa pro veris accipiendum prona, quare factum est ut fere nullus auctor saepius et legeretur et exscriberetur quam Iulius ille Solinus, qui cuiusvis generis monstra in „Polyhistore" lectoribus proposuit. Itaque Cosmographiae Ethici interpres, quum aut omiserit quae incredibilia sibi visa sunt, aut saltem semper fere indicium suum addiderit, nulla certe causa est, cur a Sancto Hieronymo diversum eum fuisse contendamus.

3. Illud potius quaerendum nobis erit, qua tandem ratione adductus Sanctus Hieronymus tam insulsi hominis opus interpretandum sibi assumpsisse videatur? Et de hac re quid edicendum sit non satis scire nos libenter confitemur. Nisi forte in tali ratione acquiescemus, qualem ipse Hieronymus in Cosmographia profert. Dicit enim pag. 500. v. 11. sqq.:

„Itaque non tantum meae causae fuit eorum palpare et enucleare paginas ut in aliquid rei veritatis prodessem, quantum a praecedentibus lectoribus errorem enigmatum illorum in palam obnixam, vel parvam repagulam retinendam, schedulas querelarum illorum futurorumque lectorum scriptorumque panderem".

Quae si recte intelligimus, hoc dicit: se Cosmographiam non eam ob causam summo labore transtulisse atque explicasse, ut fructum ferret veritati: sed ut sequentium temporum lectores ab iis erroribus arceret, in quos praecedentes omnes incidissent. Hos autem errores alibi[123]) dicit multos

---

123) cfr. Ethicum pag. 501. v. 22.

iam legentes in „lacum ruinae“ deiecisse, id quod sibi permolestum esse adfirmat.

Iam vero quis contendet talia S. Hieronymo, magno illo Ecclesiae doctore, indigna videri: scilicet ut hominum erroribus auxilio venerit, praesertim quia se ipsum scribit[324]) eandem ob causam aliquando prope perditum fuisse? Quod si conceditur, nihil profecto obvium est, quominus librorum manuscriptorum auctoritatem consequuti Cosmographiae translatorem extitisse contendamus Hieronymum.

§. 2.

ETHICI COSMOGRAPHIAM A S. HIERONYMO TRANSLATAM ESSE.

Hucusque argumenta ea exposuimus, quae contra S. Hieronymum Cosmographiae Ethici interpretem a viris doctis proferuntur; quare nunc ad ea accedamus, quae pro illo dimicant.

I. Et primum quidem Cosmographiam a Clerico translatam esse multis locis comprobatur. Scribit enim interpres ille p. 490 post med.: „quae nobis scribere vel legere non est amplius necesse; quae nos in nostris codicibus commentavimus, in breviario scilicet contra haereticos detractores male latrantes“. Confer pag. 491 extr. sqq.: „Hircanumque et Macedonium .... qui scripserunt nonnulla inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem. Unde ad memet ipsum refero: quia, nisi Dominus adiuvisset me, paulominus habitasset in inferno anima mea“. Deinde p. 495, v. 13: „quam ille Tetraginam nuncupavit, et multa quaeque horribilia inquiens; unde quae vix secerpsimus, recipere complura temere dicimus Christianis fidelibus“. Vide etiam p. 499, v. 19: „Deum viventem bifarie colunt. Haec demen-

---

324) in Epistola ad Eustochium. cfr. Hieronymi Opera ed. Vallarsius, tom. I. epistolam XXII, pag. 113. A. sqq. et Ethici Cosmographiam pag. 501 ante finem.

tia gentium illarum inaudita et incognita a nobis esse debetur vel ab scriptoribus sacrorum librorum: et in codicibus nostris ideo a maioribus omissa sunt, ne in errorem illarum gentium ambiguitas rei veritatis in ruinam pravitatis decidat". Pag. 500 ante fin.: „... in fabulis horum gesta pro vanitate, non pro utilitate, suis codicibus nectebantur: de diis gentium et diis suis, Deasta et Deicola, ad suam stultam mundi disputare idolatriam. Eo quod militiam caelorum quam Deus in suam gloriam praeparavit, illi in fanaticis et adversis ac diabolicis nominibus in nonnullis disputationibus posuerunt, iuxta illud priscum vesanum ac malignum elogium „Eritis sicut Dii, scientes bonum et malum" etc.

II. Tum vero clericum nostrum aetate Sancti Hieronymi vixisse ex eo facile intelligitur, quod in Cosmographia talia solum inveniuntur quae anno huius aerae quadringentesimo vicesimo anteriora fuisse scimus. Ut enim alios taceam, veluti Traianum[325]), Francos[326]), Turcas vel Durcas[327]), Saxones[328]), Valeriam provinciam[329]), Byzacium[330]),

---

325) cfr. Ethicum pag. 511 extrem.

326) Franci Romanis permoturunt saeculo tertio ineunte. cfr. Tabulam Peutingerianam. et Vopiscum in Aureliano cap. VII. et cap. XXXIII. Vide etiam Gibbon. history of the Decline and Fall of the Roman Empire etc. 6 Voll. 4°. London 1776. sqq. tom. I, cap. X, pag. 259. nec non: Mannert, Geographie der Griechen und Römer, Theil 3, Leipzig 1820. pag. 210—220.

327) cfr. Ethicum pag. 470, 472, 490, 497, 498. — De Turcis cfr. Plin. H. Nat. VI, cap. VII. sect. 7. et Ukert „Geographie der Griechen und Römer" tom. III, pars II, pag. 542.

328) cfr. Ethicum pag. 472 init.; p. 468. — Saxones primum a Claud. Ptolemaeo memorantur lib. II. cap. 11. cfr. etiam Eutropium IX, cap. 21, pag. 62. extr. ed. Stereotyp. Ammian. Marcell. lib. XXVIII, cap. 2. § 12. et lib. XXX. cap. 7. § 8.

329) Haec anno 295. nomen accepit in honorem Valeriae, filiae Diocletiani Imp. et Galerii Caesaris uxoris. cfr. Ethicum pag. 534, v. 7.

330) Hanc provinciam, a Diocletiano Imper. constitutam, iam ante a. 321. a scriptoribus commemorari ostendit W. A. Becker, Handbuch der Röm. Alterthümer, fortgesetzt von Joachim Marquardt, tom. III, pars 1.

Constantinopolim[331]), laudantur in Cosmographia Ethici: Alcimus[332]), Macedonius[333]), Eunomius[334]), Priscillianus[335]); denique nescio an alio nomine etiam Arbogasten Hieronymus attulerit. Dicit enim p. 498, v. 20: „ubi postea Alexander cum Arbogen principe Albanorum bellum induxit; et tribus diebus cruentissimo bello caedes ac clades maximas, dirissimo vulnere et damnabili et atrocissimo proelio, diutissima caede, decies milies centena milia occubuerunt". Interdum autem pro „Alani, Alania" in Cosmographia scribitur „Albani, Albania", scilic. pag. 532, v. 17 et 25; pag. 533, v. 10 et 18; pag. 534, v. 3. cett. Quare si nostro loco legimus „cum Arbogen principe Alanorum",

---

Lipsiae 1851. 8°. pag. 229. init. et not. 1675. — cfr. Ethicum pag. 539, vers. 10.

331) Consecrata est die 11. Maii anni 330. cfr. Manso „Leben Constantin's des Grofsen". Wien 1819. 8°. p. 301. — vide Ethicum p. 513, v. 7.

332) cfr. Ethicum pag. 460 extr. et p. 461, v. 16. — Hunc Alcimum Alethium, professorem Burdigalensem, S. Hieronymus laudat in Chronico Eusebii ad annum 358. (Opera ed. Vallars. tom. VIII. pag. 799. G — aut: „Vetustiora Latinorum Scriptorum Chronica ad MSS. codices emendata etc. in unum corpus collecta, praemisso Eusebii Chronico a D. Hieronymo e Graeco verso et multis aucto: collegit D. Thomas Roncallius", 2 Voll. Patavii 1787. fol. min. cfr. tom. I, pag. 506.).

333) cfr. Ethicum pag. 491 extrem. — Macedonius ab Arianis episcopus Constantinopolitanus eligitur a. 345; sed eodem anno a sede pulsus ante portas urbis Constantinop. moritur a. 364. cfr. Sozomenis Hist. Ecclesiastic. et Schroeckh „Christliche Kirchengeschichte" tom. VI, Leipzig 1778. 8°. pag. 77.

334) cfr. Ethicum pag. 491 a. fin. — Eunomius a. 356. inter discipulos Aëtii Alexandriae receptus, a. 360. a Cyzicenis episcopus eligitur; ante annum 396. in Cappadocia mortuus est. cfr. Philostorgi Hist. Ecclesiast. Epitom. lib. III — X. et Schroeckh, Kirchengesch. etc. tom. VI, pag. 124 — 137.

335) cfr. Ethicum pag. 491 a. fin. — Priscillianus a. 380. in Concilio Caesaraugustano damnatus, anno 381. cum Instantio et Salviano Romam petit, papae Damaso sese excusaturus. Sed anno 387, Arcadio et Bautone Coss. iterum damnatus in Concilio Burdigalensi ad Imperatorem Maximum confugit, a quo accusante Itacio gladio interfectus est anno 389. cfr. Prosperi Chronicon ed. Roncallius, tom. I, pag. 639. et Isidorum ed. Arevali, tom. VII, pag. 100, nec non tom. III, pagg. 238, 358.

quis est quin de famoso illo Alanorum duce cogitet, qui iam Gratiano imperante († mens. August. anni 383.) clarus, et post cruentissimam Maximi cladem apud Sisciam in Pannonia Legionum Gallicarum anno 388. dux a Theodosio constitutus [336]), mox anno 392. Valentinianum iuniorem apud Viennam strangulavit; sed anno 394. mense Septembri apud Aquileiam a Theodosio pugna devictus se ipsum interfecit [337]).

Haec tamen in incerto relinquimus, quum omnes codices Alexandrum Magnum Theodosii loco praeferant; neque multum ex ea re pendere videtur, praesertim quia ex reliquis quae attulimus iam apparet, Cosmographiam Ethici ante annum 381. nullo modo fuisse versam: et infra demonstrabimus, unum quoque locum in eo libro inveniri, qui post annum 396. scriptus sit.

Deinde vero anno 416. recentiorem non esse, ex eo intelligitur quod Pelagii nomen nondum reperitur, qui hoc ipso anno haeresiarcha extitit. Quin etiam fortasse dicendum est, Cosmographiam ante annum 409. conversam esse in latinum, quia eodem tempore Syriam in sex provincias divisam fuisse scimus [338]), cuius rei apud Ethicum vestigia nulla inveniuntur [339]). Quare Cosmographia, quum intra annos 396. et 409. translata sit, nihil obvium est, quominus a S. Hieronymo († 420.) conversam eam esse concedamus.

III. Constat librum Ethici saeculo quarto exeunte aut ineunte quinto a quodam clerico translatum esse; iam vero restat, ut clericum illum alium neminem fuisse ostendamus, nisi ipsum Stridonensem Hieronymum.

336) cfr. Gibbon l. c. cap. XXVII. (tom. III, pag. 41. et 57.) — cfr. etiam Orosii lib. VII, cap. 35. (ed. Haverkamp, pag. 559. sqq.)

337) cfr. Gibbon l. c. pag. 64. Orosium l. c. pag. 561.

338) cfr. Becker, Röm. Alterthümer etc. tom. III, part. I, p. 200. sq.

339) cfr. Ethicum pag. 537, 7.

Dicit autem interpres ille in Cosmographia p. 464, v. 6: „Nos itaque in aliquibus epistolis mentionem philosophorum et eorum laborum studiorumque fecimus; Hiarcam [induximus] in sabulo cathedrae insidentem aureae ad meridiem maris oceani, disputantem cum discipulis suis de mensa solis et astrorum siderumque differentia.“ Intelligit epistolam ad Paulinum, de studio Scripturarum [340]), anno 396. conscriptam; in ea enim legimus haec: „Habuit illa aetas „inauditum omnibus saeculis celebrandumque miraculum, ut „urbem tantam (scil. Romam) egressi, aliud extra urbem „quaererent. Apollonius — sive ille magus ut vulgo loqui„tur, sive philosophus ut Pythagorici tradunt — intravit „Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massa„getas, opulentissima Indiae regna penetravit: et ad extre„mum Physon amne transmisso, pervenit ad Brachmanas, „ut Hiarcam in throno sedentem aureo et de Tan„tali fonte potantem inter paucos discipulos de „natura, de motibus, ac syderum cursu audiret „docentem: inde per Elamitas, Babylonios, Chaldaeos, Me„dos, Assyrios, Parthos, Syros, Arabes, Palaestinos reversus „Alexandriam, perrexit Aethiopiam ut Gymnosophistas et „famosissimam Solis mensam videret in sabulo“.

Deinde in Cosmographia Ethici (pag. 492, v. 2. sqq.) scriptum invenimus: „qui [h. e. Macedonius et alii haeretici] scripserunt nonnulla inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem. Unde ad memet ipsum refero quia, nisi Dominus adiuvisset me, paulominus habitasset in inferno anima mea“. Et l. c. p. 501, p. med.: „Nonnullis noctibus ac diebus aegrotavi usque ad mortem, et permolestum erat mihi divinae et sacrae scripturae locum, usquequaque omissa sacra eloquia quam a me fures rapiebant, et me captivum duxissent, si virtus divina non adfuisset“.

---

340) cfr. Hieronymi Opera ed. Vallarsius, tom. I, Epistolam 53. pag. 269. B.

In haec optime quadrant quae in epistola XXII. ad Eustochium[341]) S. Hieronymus de se ipso scribit:

„Quum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, „cognatis et, quod his difficilius est, consuetudine lautioris „cibi, propter caelorum me regna castrassem, et Ierosoly„mam militaturus pergerem, Bibliotheca quam mihi Romae „summo studio ac labore confeceram carere omnino non „poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. „Post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi „praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus „eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in me„met ipsum reversus Prophetas legere coepissem, sermo „horrebat incultus; et quia lumen caecis oculis non vide„bam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum „ita me antiquus hostis illuderet, in media ferme Quadra„gesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum, „et sine ulla requie (quod dictu quoque incredibile sit) sic „infelicia membra depasta est, ut ossibus vix haererem. In„terim parantur exequiae, et vitalis animi calor, toto fri„gescente iam corpore, in solo tantum tepente pectusculo „palpitabat: quum subito raptus in spiritu ad tribunal iu„dicis pertrahor; ubi tantum luminis et tanta erat ... ful„goris, ut proiectus in terram sursus aspicere non auderem. „Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. „Et ille qui praesidebat: „„Mentiris, ait, Ciceronianus es „non Christianus: ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum"". „Illico obmutui, et inter verbera (nam caedi me iusserat) „conscientiae magis igne torquebar, illum mecum versiculum „reputans: „„In inferno autem quis confitebitur tibi?"" Cla„mare tamen coepi et eiulans dicere: „„Miserere mei, „Domine, miserere mei"". „Haec vox inter flagella resona„bat. Tandem ad praesidentis genua provoluti qui astabant „precabantur, ut veniam tribueret adolescentiae et errori „locum poenitentiae commodaret, exacturus deinde crucia-

341) cfr. Hieronymi Opera ed. Vallarsius, tom. I, pag. 113. et 114.

„tum, si gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego „qui in tanto constrictus articulo vellem etiam maiora pro- „mittere, deierare coepi et nomen eius obtestans dicere: „„Domine, si umquam habuero codices saeculares, si legero, „te negavi"". „In haec sacramenti verba dimissus revertor „ad superos; et mirantibus cunctis oculos aperio tanto la- „crymarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem fa- „cerem ex dolore. Nec vero sopor ille fuerat aut vana „somnia, quibus saepe diludimur. Testis est tribunal illud „ante quod iacui, testis iudicium triste quod timui: ita mihi „numquam contingat in talem incidere quaestionem. Liven- „tes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post som- „num, et tanto dehinc studio divina legisse quanto non „ante mortalia legeram".

Neque his solum argumentis utimur. Nam in Cosmographia (pag. 501, a. fin.) Hieronymus praeceptorem suum Aelium Donatum laudat: „Donatus mihi inter maximos primus praeerat, et Magnus in euphonicis versibus, quibus me diu laborasse profiteor" etc.

Idem scribit pag. 504, 4.: ... „characteribus hebraicis, graecis, latinis, chaldaicis, syriis atque aegyptiis, quae nobis ex parte vicina sunt". Qua ex re colligimus, Cosmographiae translatorem quo tempore eam tractabat in Oriente versatum fuisse; Hieronymus autem inde ab anno 385, mense Augusto, usque ad mortem suam a. 420. in Palaestina commoratus est.

Pag. 490, p. med. Cosmographiae interpres scribit: „quae nobis scribere vel legere non est amplius necesse; quae nos in nostris codicibus commentavimus: in Breviario scilicet contra haereticos detractores male latrantes". Quod quidem opus inter scripta S. Hieronymi hodie non extat; fortasse etiam nunc in codicibus manuscriptis alicubi latet.

2. Neque vero alii loci pro S. Hieronymo Cosmographiae Ethici interprete non pugnant, quippe qui cum

iis optime consentiant quos in scriptis S. Hieronymi invenimus. Eiusmodi sunt sequentia. Pag. 500. et 501. in Cosmographia multis atque acerbissimis verbis contra Ciceronem, Platonem, alios, disputat, quos „fideles in ruinam abducere“ contendit; horum similia in S. Hieronymi operibus passim inveniuntur. Nam Platonem nec non universam Philosophiam non semel sed sexcenties contumeliis insectatur, ut tom. I, pag. 36. C. D. (ed. Vallarsius): „Veniet, veniet illa dies, qua corruptivum hoc et mortale incorruptionem induat et immortalitatem ..... Tunc igitur Iupiter adducetur, et cum suis stultus Plato discipulis. Aristotelis argumenta non proderunt“ etc. Ibidem pag. 178. D: „Tales stulta Philosophia habeat martyres, habeat Zenonem, Cleobrotum, vel Catonem. Super nullum requiescit spiritus meus, nisi „super humilem et quietem et trementem verba mea“ etc. Ibidem pag. 790. C: „Philosophus gloriae animal, et popularis aurae vile mancipium“.

Quin etiam eosdem Scripturae Sacrae locos in libris suis affert Hieronymus quos in Cosmographia Ethici laudavit. Cfr. Hieronymi Opera I, pag. 113. A. [342]); ibidem pag. 309 [343]), pag. 1019. E. [344]); et cetera.

Denique ne illud quidem praetermittendum erit, in Bedae Venerabilis operibus locum quendam occurrere, qui fortasse ad Cosmographiam nostram pertinet. Scribit enim in libro de temporum ratione, capite LXVII [345]): „Quod si qui laborem hunc nostrum culpaverint esse superfluum, accipiant hi quicunque sunt iustum salva charitate responsum, quod praefatus Hieronymus priscae Cosmographiae calumniatoribus reddit, ut „„si displicet

342) cfr. Ethicum pag. 457. a. finem.

343) cfr. Ethicum pag. 461, v. 11.

344) cfr. Ethicum pag. 459, v. 19.

345) cfr. Venerabilis Bedae Opera quae supersunt omnia, nunc primum in Anglia ... edid. I. A. Giles. tom. VI. Londini 1843. 8°. p. 332. — Hunc locum nobis indicavit Ludov. Bethmann.

non legant"". Locus tamen ille in Cosmographia Ethici hodie non extat.

Tantis igitur argumentis et librorum MSS. omnium simul auctoritati insistentes, Cosmographiam Ethici a S. Hieronymo Stridonense intra annos 396. et 409. p. Chr. n. in Palaestina atque Bethlehem translatam fuisse credimus.

Quae res ut eo magis confirmetur sequenti capite iam nova argumenta adducenda sunt.

CAPVT II.

DE LITTERIS ETHICI PHILOSOPHI.

Sanctus Hieronymus in Cosmographia non uno loco de litteris disputat quas ab Ethico inventas esse dicit et dispositas, scilicet pag. 500. initio: „Sua sibi idem philosophus auctoritate praelata quasi omnes assertiones eius in cunctis codicibus quis audeat aut retinere aut credere; istaque a nobis in momento vel passim eius litteris in breviarium divulgavimus. Ille ex parte gentilium litteras explanare nimio enigmate contentus, ex parte graecas syllabas elicuit, magis imo ac magis latina prosodia posuit" etc. Deinde pag. 502, 4: „Eius abecedarii in sequenti characteres notavimus, quod nostris characteribus nullatenus convenit, sed hebraicis, graecis et latinis, chaldaicis, syriis atque aegyptiis, quae nobis ex parte vicina sunt; hic vero suam litterationem et interpretationem inter reliquos philosophos per semet ipsum nisus est, quae aliqui et quamplures gentilium scriptores in usus varios scribunt, lineam in diversa ponentes". Denique pag. 511, v. 5 sqq.: „Ipsum quoque carmen talibus characteribus distinxit, ut nullus hominum

legere vel deserere nodos posset; hebraeos characteres resupinatos, graecos incurvatos, latinos duplicatos in similitudinem circi, suosque apices in medium positos, metrico more compositos, sua laude sibimet solus sciebat" etc. Ipsas autem litterarum formas integri Cosmographiae codices omnes exhibent [346]), de quibus tabulam inspicias quam extremae parti operis adiecimus.

Iam vero quaerendum nobis est, quid in hisce elementis lateat apud Ethicum: utrum nugas ea esse censeamus, an sensum aliquem inesse illis confitendum sit? Qua in re vereor, ne Hieronymi verbis commoti [347]) litteras Ethici nihil fuisse multi persuadeantur, nisi obscuras tantum et secretas notas; praesertim quum in eandem opinionem D'Avezacius nuper abierit, qui apices ne obiter quidem perstrinxit. Sed is in aliis quoque toto coelo aberravit; nos igitur, quia de elementis Ethici longe aliam notionem suscepimus, sequentibus paginis sententiam nostram paucis exponendam esse putamus: scilicet ut novo quodam argumento Cosmographiam Ethici a S. Hieronymo translatam fuisse comprobemus.

§. 1.

ETHICVM NATIONE SCLAVVM FVISSE.

De patria Ethici et origine eius quaerentibus nobis ex nonnullis Cosmographiae locis lux suppeditat. Neque vero ab interprete solum Hieronymo de gentilibus philosophi certiores reddimur, verum etiam Ethicus ipse in Histria se ortum fuisse scribit. Legimus enim l. c. pag. 455, 2: „Hic igitur Ethicus Histria regione sophista claruit". Pag. 468, v. 1: „quum ille Histria se exortum fuisse scribat" etc. Pag. 532, v. 5: „Stylo posuit Cephalenias

346) apud D'Avezacium leguntur pag. 541.

347) cfr. locos modo laudatos et quae proxime sequuntur translatoris verba.

insulas, Cassiopas et Liburnicas, vicinarum suarum repetendum" etc. Ibid. v. 11: „Lacedaemonia, Pannonia et Histria post celeberrimam Graeciam suarum generationum repetens ait" etc. Ibidem v. 16: „Quantae clades in Lacedaemonia, Norico et Pannonia, Histria et Albania, vicinae meae septentrionalium regiones .... cum taedio cordis mei stragem sobolis mei cogor propalare". Pag. 534, 7: „Quid soboles ignaviae meae meruerit non praetermittam, quum eo tempore captivati ab Histria Cassiopas insulas pervenerint, ... et usque in diem nativitatis meae culta quae dudum fuerant in solitudinem redacta sunt".

Ex his igitur locis etsi in Histria[348]) ortum fuisse Ethicum satis apparet, tamen haud ita perspicuum est, cuinam potissimum nationi eum assignemus. Etenim quum antiquissimis temporibus tum saeculis post Christum natum prioribus quinque regio illa gentium barbararum incursionibus saepius vexabatur, quippe quae non solum Pannoniae finitima esset, verum etiam ad Italicas provincias fertilissimas aditum facillimum praeberet. Quare factum est, ut in hac diversissimorum populorum arena quasi et palaestra aliis temporibus nationes aliae sedes collocarent: Liburni scilicet, Illyrii, Galli, Sarmatae, Iazyges, Germani, Scythae atque Sclavi. De his autem gentibus et eorum factis certi quidquam constituere eo difficilius est, quo magis ab omnibus fere veterum scriptoribus incredibilem in modum confunduntur[349]); operae tamen pretium erit periclitari, si forte indagare possumus ex quanam superiorum processisse Ethicus dicendus sit[350]).

---

348) Provinciam intellige eam, quae Venetias inter et Pannoniam sita est; cfr. Ethicum pag. 491, v. 26; 511, v. 13; 532, v. 11 et 16.

349) cfr. B. G. Niebuhr, Vorträge über alte Länder- u. Völkerkunde, herausgegeben von M. Isler. Berlin 1851, 8°. pag. 302.

350) Ethicum enim Romanum non fuisse quum iam ea ex re pateat, quod Cosmographiam graeca, non latina, lingua composuit — qua

2. Et primo quidem Ethicum genere Illyrium non fuisse veri simile est, quum sub finem Cosmographiae [351]) verba inveniamus haec: „Explicit liber Ethici philosophi Cosmographi natione Scythica, nobili prosapia parentum“ etc. Illyriorum enim gentem ab Scythis diversissimam esse nemo non intelligit. Qua ex re sequitur, Ethicum ne ad Aethices quidem pertinuisse in Epiro habitantes, quorum saepius Strabo [352]) meminit, etsi nomen Aethici [353]) pro illis dimicare forte quispiam contendet. Accedit quod, si Strabonem sequimur, aetate eius Aethices sive extincti erant, sive ex locis antea obsessis discesserant [354]): itaque hos praetermittendos esse putamus, neque Cosmographo nomen Aethici fuisse credimus, sed Ethici [355]).

Quid igitur? num Scythica prosapia Ethicum oriundum esse concedendum erit? Scimus veteres scriptores notissimo more omnes fere gentes septentrionales quae ab Histro inde usque ad Riphaeos montes et mare Caspium habitabant Scytharum nomine designasse, ita ut uno vocabulo diversissimas nationes comprehenderent [356]). Sic nomine illo appellantur, si exempla afferenda sunt, Iazyges, Sarmatae, Sclavi, Geti, Gothi, Hunni etc. qui omnes minime ad eandem stirpem pertinent. Nam, ut brevibus quaestionem dif-

---

de re vide inter alia inscriptionem operis — tum inde colligi potest, quod Romulum, h. e. Romanos (cfr. infra caput 3. et exrema disputationis nostrae) cum popularibus suis cruentissima bella gessisse narrat p. 532—534.

351) pag. 541.

352) scilic. pag. 326, 327, 430, 434.

353) Nominis enim forma „Aethicus“ pro „Aethix“ vel „Aethicius“ in tali operis conditione minus offendit. cfr. M. Haupt's Recension von Kopitar's Glagolita Clozianus, aus dem LXXVI. Bande der Jahrbücher der Literatur besonders abgedruckt. Wien 1836. 8°. pag. 9.

354) cfr. Strabonem pag. 430: *Λοιπὸν δ' ἐστὶ τὸ ἑσπέριον, ὃ περικλείουσιν Αἰτωλοὶ καὶ Ἀκαρνᾶνες καὶ Ἀμφίλοχοι .... καὶ ἡ τῶν Αἰθίκων ποτὲ λεγομένη γῆ κ. τ. λ.* cfr. etiam Haupt, l. c.

355) cfr. ea quae supra pag. 89, not. 224. de nomine attulimus.

356) cfr. Niebuhr „Untersuchungen über die Geschichte der Skythen, Geten und Sarmaten“, in: Kleine historische und philologische Schriften, Erste Sammlung, Bonn 1828. 8°. pag. 354.

ficillimam absolvam, Scythae orientalibus nationibus adnumerandi sunt, ut Hunni et Mongoli, Iazyges vero Sarmataeque gentibus iis quas Sclavos hodie vocitamus [357]): has autem Histriam et Pannoniam incoluisse certum est.

Licet enim de vetustis earum gentium fatis nihil fere ad nos usque pervenerit [358]), quas quibus causis permotas et quonam tempore Illyricum obsedisse statuendum sit pro certo non comperimus: tamen dubitari non potest, Sarmatas quarto iamiam saeculo in illis regionibus habitasse. Non loquor de Sarmatis iis qui anno 334. a servis, qui et Sarmatae Limigantes nominantur, patria ex sede pulsi Constantini Magni providentia in Pannonia, Thracia, Macedonia et Italia domicilia acceperunt [359]), et quos Constantius Imperator anno 359. in patriam reduxit [360]); quamvis enim M. Haupt [361]) cum hisce Ethicum quoque in Histriam pervenisse eam ob causam coniecerit, quod nobili prosapia parentum exortum eum fuisse Hieronymus in Cosmographia [362]) praedicat, tamen iam ante annum 334. Ethicum in Histria vixisse certo certius est. Quin etiam alio loco philosophus ipse dicit se in illa provincia natum esse; scribit enim [363]): „Quid soboles ignaviae meae meruerit non praetermittam, quum eo tempore captivati ab Histria Cassiopas insulas

---

357) Has res ita esse primus ostendit Summus Niebuhrius l. c. cfr. praesertim pag. 394. 395. — Vide etiam I. Grimm, Gesch. der deutschen Sprache, I, pag. 228.

358) cfr. Niebuhr, Kleine Schriften I, pag. 388. „Wie aber die Ereignisse in Skythika, welche ihren Aufbruch verursachten, den Geschichtschreibern wenigstens nur höchst unvollkommen bekannt gewesen zu seyn scheinen, so schweigen sie über die Ausbreitung der Sauromaten: sie läfst sich nur wahrnehmen und folgern“.

359) cfr. Ammian. Marcellin. XVII, cap. 12. 13. et auctores quos affert Gibbon, l. c. cap. XVIII. (tom. II, pag. 95, not. 45.) — Vide Kopitar, Glagol. Clozian. pag. XXX[a] et LXXVI[a].

360) cfr. testimonia veterum apud Gibbon l. c. cap. XIX. (tom. II, pag. 147. not. 47.)

361) l. c. pag. 9 et 10.

362) pag. 541.

363) cfr. Ethicum pag. 534, v. 19. sqq.

pervenerint ..... et usque in diem nativitatis meae culta quae dudum fuerant in solitudinem redacta sunt". Alibi [364]) vero comprobabimus Ethicum non post annum 300 natum fuisse.

Constat autem vergente saeculo secundo haud semel Sarmatas atque Iazyges [365]), non in Histriam dico et Pannoniam, sed in Italiam ipsam pervenisse. Cuius rei vestigium, ni fallimur primum, Marco Aurelio imperante occurrit, quo tempore [366]) una cum Marcomannis, Quadis, Chattis aliisque gentibus etiam Sarmatae, limite imperii superato, Rhaetiam intrantes usque ad Aquileiam processere [367]); et paullo post, iisdem gentibus cum aliis multis rebellantibus [368]), in deditionem acceptis Imperator non solum in Dacia, Pannonia, Moesia et Germania, verum etiam in Italia ipsa ac Ravennae sedes concessit [369]). Post haec

---

364) cfr. infra cap. III. a. finem.

365) De antiquis sedibus Sarmatarum et quomodo primis aerae nostrae saeculis fines propagaverint cfr. Niebuhr, Kleine Schriften I, p. 392—395. Vide etiam Taciti Annal. XII, 29; Plin. H. Nat. IV, cap. XII, sect. 25; Arriani Exped. Alex. I, 3. et: Ukert, Geographie der Griechen u. Römer, tom. III, part. II. pag. 320 sqq. et pag. 429.

366) anno scilicet p. Chr. n. 168.

367) cfr. Niebuhr, Vorträge über Römische Geschichte, tom. III. Berlin 1848, 8°. pag. 241. — Vide etiam Ammian. Marcellin. XXIX, cap. VI, 1: „Quadorum natio motu est excita repentino, parum nunc formidanda, sed immensum quantum antehac bellatrix et potens, ut indicant perpetrata, quoniam raptim proclivia, obsessaque ab iisdem ac Marcomannis Aquileia, Opitergiumque excisum, et cruenta complura perceleri acta procinctu: vix resistente perruptis Alpibus Iuliis Principe serio, quem ante docuimus, Marco.

368) cfr. Iul. Capitolinum in M. Antonio cap. XIV, XVII, XXII. — Eutropium lib. VIII, cap. XIII. — Ammian. Marcellin. lib. XXXI, cap. V, §. 13: „Marco itidem moderante imperium, unum spirando vesania gentium dissonarum, post bellorum fragores immensos, post * eri urbium captarum et direptarum et pessum * concitas proratoris * interitus, partes eorum exiguas reliquisset intactas". — Vide etiam Gibbon, l. c. cap. IX (tom. I, pag. 239).

369) cfr. Xiphilini Excerpta ex Cassii Dionis libro LXXI, cap. 11: οὗτοί τε οὖν (scilicet οἱ Μαρκομάνοι) πρὸς τὸν Μάρκον ἀφίκοντο, καὶ

deinde tempora Imperatores Romanorum saepius Sarmatis et Iazygibus signa inferebant, ut Probus, Carus[370]), alii, dum post saeculum quartum non solum Illyricum, verum etiam Dalmatia, Pannonia, atque Histria a Sclavis occupatae sunt[371]).

Quae quum ita se habeant sequitur, ut Ethicum natione Sarmatam fuisse concedamus: Sarmatas autem Sclavis adnumerandos esse certum est. His igitur causis inducimur, ut litteras ab Ethico inventas a Glagoliticis apicibus haud multum abhorrere suspicemur; quam rem ut ita esse ostendamus, paragrapho sequenti utriusque alphabeti formas et naturam paullo accuratius comparabimus.

§. 2.

GLAGOLITICAS QVAS FERVNT LITTERAS AB ELEMENTIS ETHICI DIVERSAS NON HABENDAS ESSE.

Ethici litterae, etsi reliquis qui rerum Sclavonicarum investigatores extiterunt incognitae, tamen haud ignotae erant V. Cl. Bartholomaeo Kopitari. Qui per comitem Castillionaeum de Hrabani Mauri loco certior factus, quo Moguntinus ille clarissimus archiepiscopus († 847.) Cosmographi

---

ἕτεροι συχνοὶ παραδώσοντες ἑαυτοὺς οἱ μὲν κατὰ γένη οἱ δὲ κατὰ ἔθνη ἐπρεσβεύσαντο. καὶ αὐτῶν οἱ μὲν ἐστρατεύσαντο ἄλλοσέ ποι πεμφθέντες ..... οἱ δὲ καὶ γῆν οἱ μὲν ἐν Δακίᾳ οἱ δὲ ἐν Παννονίᾳ οἱ δὲ Μυσίᾳ καὶ Γερμανίᾳ τῇ τε Ἰταλίᾳ αὐτῇ ἔλαβον. καὶ αὐτῶν ἐν Ῥαβέννῃ τινὲς οἰκοῦντες ἐνεωτέρισαν, ὥστε καὶ τὴν πόλιν κατασχεῖν τολμῆσαι. καὶ διὰ τοῦτ᾽ οὐκέτ᾽ ἐς τὴν Ἰταλίαν οὐδένα τῶν βαρβάρων εἰσήγαγεν, ἀλλὰ καὶ τοὺς προαφιγμένους ἐξῴκισεν.

370) cfr. Vopiscum in vita Cari Imperat. cap. VIII. et Gibbon cap. XII. (tom. I, pag. 345).

371) De rebus gestis Sclavorum inde a primis temporibus, et de fatis Histriae et Pannoniae regionumque adiacentium cfr. accuratissimam Ant. Linharti commentationem cui titulus est: „Versuch einer Geschichte von Krain und der übrigen südlichen Slaven Oesterreichs". Laibach 1788. 2 Voll. 8°, ubi vide tom. I. extrem.

transscriptas nobis tradit litteras [372]), tacite quodammodo haud alias esse quam Glagoliticas adgnoscit [373]). Sed ille quidem Hrabanum ipsum inspexisse non videtur; quod quum fecisset V. Cl. Mauritius Haupt, fieri non poterat quin differentiam quandam litterarum esse intelligeret [374]).

Quid igitur? si Ethici apud Hrabanum Maurum litterae Glagoliticarum plane dissimiles sunt, si alium longe ordinem sequuntur, si denique proprii Sclavonicae vocis soni omnimodo nullis litterarum signis terminantur apud Ethicum; si haec omnia dico ita se habent: nonne concedemus

---

372) cfr. Hrabani Mauri librum De inventione linguarum etc. edid. Goldast, in „Rerum Alamannicarum Scriptores" tom. II, pag. 66. sq.

373) Glagolita Clozianus etc. pag. XI[a]. „Admonuitque nos hoc loco Ill. Comes C. O. Castillionaeus μυστηριώδους Aethici (sive tu „Ethicum" malis rectius scribere) Histrorum philosophi, de quo eiusque litteris citat Hieronymi locum Hrabanus Maurus, in ipsius S. Hieronymi opp. hodie non exstantem. Quid si Ethicus iste, cui etiam orbis descriptio quarti ad summum saeculi tribuitur, et Slavicarum litterarum ante Cyrillum auctor exstiterit: cum illoque memoratus ab Hrabano presbyter Hieronymus ansam dederit alphabeti S. Hieronymo tribuendi?"

374) l. c. pag. 10: „Die Buchstaben freilich und ihre Namen, wie sie Hrabanus giebt, haben mit den slavischen keine Aehnlichkeit, folgen, wenn wir den beigesetzten lateinischen Buchstaben trauen dürfen, der Ordnung des lateinischen Alphabets, und ermangeln der Zeichen für eigenthümlich slavische Laute; aber wir dürfen nicht vergessen, dafs Hrabanus dieses Alphabet selbst nicht für richtig ausgiebt, so dafs wir mehr auf seine Notiz als auf sein Alphabet Rücksicht nehmen müssen. Oder hat Aethikus ein von Hrabanus nicht ohne Entstellung überliefertes, von der Glagoliza grundverschiedenes, älteres slavisches Alphabet erfunden, das sich nicht im Gebrauch erhielt? Ich gebe dies Alles nur als ganz unsichere und vielleicht ganz leere Vermuthung; aber im schlimmsten Falle ist des Herausgebers (i. e. Kopitar's) Ansicht nicht ohne Wahrscheinlichkeit, dafs die von Hrabanus aufbewahrte Notiz den traditionellen Glauben, welcher die Erfindung der Glagoliza dem heiligen Hieronymus zuschreibt, veranlafst habe. Ungehindert durch diese Ueberlieferung, ja vielleicht, weil sie fabelhaft klingt, gerade durch sie gereizt, bestritt Dobrowsky das höhere Alter der glagolitischen Schrift, indem er ihre Entstehung weit später als die der Kyrilliza setzte".

apicibus nostris nihil commune relinqui cum Glagoliticis? Quod quidem minime nobis concedendum est.

I. Primum enim — quod ad litterarum formas attinet — ubi paullo accuratius eas inter se comparaveris, statim apparebit non inesse iis talem, qualem Hauptius dicit, differentiam. Nam etsi nonnullae apud Hrabanum nostrum litterae in formas Glagoliticas non quadrant, tamen alii ductus litterarum et in linguae eius quam modo diximus, et in tabellis Cyrilliani alphabeti[375]) inveniuntur, qui aperte consentiunt cum iis litteris quae Ethicum auctorem sibi vindicant[376]). Etiamsi autem Ethici characteres litteris Glagoliticis minus conformes essent, hoc in tam corrupto omnium manuscriptorum statu nullo modo admirandum foret. Vides enim quantopere ductus litterarum in singulis libris discrepant, ita ut eorum qui medio aevo Cosmographiam descripsere negligentia forma sua pristina ad nostras manus minime pervenisse videantur. Qua in re haud praetermittendum erit, Hrabanum Maurum ipsum scribere „in istis litteris se falli et in aliquibus vitium agere“, discipulosque eum ut emendent vitia adhortari[377]). Accedit quod elementorum etiam Glagoliticorum diversissimae formae extant, quas vix eosdem ductus designare crederes; quam formarum differentiam neminem effugere posse putaverim qui litterarum Sclavonicarum tabulas vel obiter in-

---

375) Vereor ne forte ea in re lectores haereant, quod sequentibus paginis alphabeto Glagolitico et Cyrilliano promiscue saepius usi sumus. Hoc autem eam ob rationem factum est, quia tantopere in omnibus consentiunt, ut alterum ex altero desumptum esse pateat. Qua de re cfr. Linhart, Versuch einer Geschichte von Krain etc. tom. II, pag. 353. sqq. Kohl, Introduct. in histor. et rem litterar. Slavorum etc. pag. 80. not. Dobrowsky, Institutiones linguae Slavicae etc. pag. 5. et alios qui de litteris Sclavonicis sententias ediderunt. Nos infra demonstrabimus apices Cyrillicos ex Glagoliticis desumptos esse.

376) Vide Tabulam quam libello nostro adiecimus.

377) cfr. Goldast, Rerum Alamannic. Scriptores etc. tom. II, pag. 66. et Hauptium de hoc loco disputantem l. c. pag. 10.

spexerit[378]), neque vero hominum doctorum testimoniis hanc rem ita se habere non confirmatur[379]).

Denique si alphabetum Ethici Glagolizae, sicut vocitant, exemplar antiquissimum fuisse dicimus, scilicet cuius formae rudes et inconditae decursu temporum in ductus eos transformatae sint[380]) quos hodie Glagolitae usurparunt[381]): si hoc statuimus, utriusque alphabeti formas ex omni parte consentire non posse facili negotio intelligitur[382]).

---

378) Tabulas scilicet sequentes: 1) apud Ang. Rocca, Opera omnia, Romae 1719. in fol. tom. II, p. 244. B. et 249. — 2) apud Frischium, in „Origo characteris Sclavonici vulgo dicti Cirulici" etc. Programma Gymnasii Berolinensis d. 2. April. 1727. 4°. et eiusdem programm. inscript. „Historiam ling. Sclavonic. continuat quatuor capitibus" etc. die 10. Dec. 1727. 4°. — 3) Neues Lehrgebäude der Diplomatik, welches in Frankreich von einigen Benedictinern von der Congregat. des H. Maurus angefertigt worden. Uebersetzt von I. Ch. Adelung, 3 Voll. Erfurt 1759—1763. 4°. ubi vide tom. II, pag. 160, tabulam XIII. — 4) F. Fortunat. Durich „De Slavo-Bohemica Sacri Codicis versione Dissertatio", Pragae 1777. 8°. — 5) Linhart „Versuch einer Geschichte von Krain und den übrigen Ländern der südlichen Slaven Oesterreichs", 2 Voll. Laibach 1791. — 6) Ios. Dobrowsky, Institutiones linguae Slavicae dialecti veteris etc. Vindobonae 1822. 8°. cfr. tab. I (pag. 2), tab. II (p. 4), tab. III (pag. 5). — 7) Kopitar, Glagolita Clozianus etc. tab. I, 5. et tab. II. — 8) Evangelia Slavice quibus olim in Regum Francorum oleo sacro inungendorum solemnibus uti solebat Ecclesia Remensis, vulgo Texte du Sacre, ad exemplaris similitudinem descripsit et edidit I. B. Silvestre; Evangelia latine vertit etc. B. Kopitar. Lutetiae Parisiorum 1843, 4°. ubi vide tab. I.

379) cfr. Frischium l. c. pag. 7, in Notis ad tabulam quae characteres Cyrillicos exhibet, sect. 12. et Dobrovium de tabulis Linharti disputantem in Glagoliticis pag. 43. p. med.

380) cfr. Hauptium l. c. p. 12: „Zwar die Glagoliza der jüngeren HSS. (aus dem 17. Jahrh.) könnte in ihren eckigen Zügen allenfalls für eine späte Aenderung der Cyrilliza gelten; die älteren HSS. zeigen andere und ursprünglichere Züge."

381) Eandem fere de elementis Ethici sententiam protulit Hauptius, l. c. pag. 10.: „Oder hat Aethikus ein von Hrabanus nicht ohne Entstellung überliefertes, von der Glagoliza grundverschiedenes, älteres slavisches Alphabet erfunden, das sich nicht im Gebrauch erhielt?"

382) Qua in re sententiam nostram aliorum elementorum exemplo

II. Sed magis fortasse haerebis in litterarum nominibus quae apud Ethicum inveniuntur, quum toto coelo a Glagoliticorum apicum nominibus abhorreant[383]). Neque tamen hisce ullo modo insistendum esse crediderim, quippe quae ab indocto quodam librario aut inventa, aut certe deformata et corrupta sint. Nisi forte tu contenderis, illud quoque pro vero accipiendum videri quod in Itinerario Ioannis de Mandeville legimus, qui Ethici litteras describens: Saracenorum esse elementa addidit[384]). Eiusmodi scribarum lusus atque nugae in codice quodam manuscripto Ratisbonensi saec. XI. reperiuntur, ex quo Ioann. Georg. Eccardus[385]) septem alphabeta edidit[386]); his enim, etsi aperte litteris runicis composita sunt, insulsus codicis librarius apicum Syriacorum, Arabicorum, Aegyptiacorum, Chaldaicorum, Alanicorum nomina inscripsit.

Quod quidem non temere aut ea solum ex causa a nobis dictitari ut eo melius sententiam nostram confirmemus, iam novo argumento comprobabimus. Librarius scilicet codicis Vossiani 113, de quo supra[387]) fusius disputatum est, istis litterarum nominibus latinas quasdam interpretationes adiecit in reliquis manuscriptis quos hucusque

---

confirmare haud alienum videtur. Etenim si et graeci et latini alphabeti formas pristinas cum iis comparamus quibus hodie utimur, quis est quin maius etiam inter has discrimen existere libenter concedat, quam inter elementa Ethici et ductus glagoliticos? Incredulos autem librum evolvere iubemus quem supra laudavimus: „Neues Lehrgebäude der Diplomatik etc., übersetzt von Adelung", tom. II, pag. 102 (tab. VII); pag. 132 (tab. X); pag. 134 (tab. XI); nec non tom. III, pag. 8 (tab. XX); pag. 28 (tab. XXI); pag. 32 (tab. XXII); pag. 36 (tab. XXIII).

383) Ipsa litterarum nomina apud varias Sclavorum gentes varie pronunciari docet Grubissichius p. 45 „Disquisitionis in origin. et historiam alphabeti Slavonici-Glagolitici, vulgo Hieronymiani" etc. Venetiis 1766. 8°.

384) cfr. D'Avezac. l. c. pag. 541. not. 6.

385) Ioann. Georg. Eccardi: De Orig. Germ. etc. libri duo .... edid. Chr. Lud. Scheidius, Göttingae 1750, 4°.

386) cfr. l. c. pag. 192, et tabulam XIV.

387) pag. 117.

evolvimus non extantes[388]). Hunc igitur sequuti num dicemus, voces alamon, becach, cathy etc. idem significare atque: alacris, sublimis, fortis, futilis, magnus, gloriosus etc.? En lucidissimum exemplum habemus, quo reliqua quoque litterarum nomina a scribis excogitata esse persuademur: nisi potius mirum in modum singulas voces depravatas fuisse statuendum erit, quum Sclavonicorum quoque elementorum nomina significationes suas retinuisse videamus. Si autem tale quid statuimus, novum sane nec invalidum argumentum adest, quo Ethici litteras a Glagoliticis diversas nullo modo esse comprobatur; scilicet quia id ipsum ductibus Sclavonicis proprium et eorum quasi est natura[389]), ut omnium quibus hodie in Europa homines utuntur soli significationes pristinas conservaverint.

III. Haec tamen utut se habent, elementa Ethici numero a Glagoliticis apicibus summopere discedunt, neque ulla ex re turbatam librorum conditionem melius cognoscere possumus. Lipsiensis enim codex 22 litteras exhibet; Hrabanus Maurus 23; cod. Harleyanus 24; Vossianus saec. XII. et Cottonianus 25; denique Vossianus saec. X, ni fallor, 32. Sed etiam plures apices excidisse certum est, eos scilicet quos Ethicus ipse invenit[390]) et quibus proprii Sclavonicae

---

388) vide Tabulam adiacentem.

389) cfr. Fort. Durich „de Slavo-Bohemica sacri codicis versione dissertatio“. Pragae 1777. 8°. pag. 13. et: Linhart l. c. tom. II, pag. 350. nro. 4. qui ex hac ipsa litterarum natura nomen Glagoliticarum ortum esse dicit, a voce „glagoli“ i. e. loqui. Sed cfr. quae hac de re disputat Iosephus Dobrowsky in „Glagolitica etc. Ein Anhang zum Slavin“. Prag 1807. 8°. pag. 47. et Moritz Haupt. l. c. pag. 8. med. — Ceterum haud ita certis legibus definitum videtur, quomodo singulas Sclavonicorum alphabetorum litteras interpretemur; Grubissichius enim longe alia ratione hoc ipso munere interpretis functus est pag. 46 „Disquisitionis in orig. et historiam alphabeti Slavonici-Glagolitici“ etc. Quare eo minus mirandum nobis est, si Ethici codices corruptissimi magis etiam ab iis abhorrere videntur litterarum significationibus, quas apud Kopitarem l. c. invenimus.

390) cfr. Ethicum pag. 511, v. 5. sqq.: „suosque apices in medium positos“ etc.

linguae soni exprimebantur; quare ne numeri quidem elementorum respiciendi sunt. Accedit quod litterarum Glagoliticarum atque Cyrillicarum numeri haud magis constant; nam alphabetum Glagoliticum apud Ant. Linhart litteras habet 32; apud Dobrovium 32; apud Angel. Rocca 33; denique apud Kopitarem 39 [391]) aut 40 [392]). Alphabetum Cyrillicum apud eosdem auctores modo 37 [393]); modo 39 [394]), aut 43 [395]); modo 44 [396]) vel 45 [397]) apices complectitur [398]).

Tum vero antiquissimum illud Sclavonicarum litterarum archetypum post tot saecula paullo increvisse talium rerum gnaros haud magna certe admiratione afficiet, praesertim quia de graecis elementis et latinis eadem accepimus [399]); eo magis igitur dolendum nobis est, quod scribarum negligentia pristini ac veri ductus apicum tantopere mutati sunt, ut melioribus tandem códicibus repertis ratio ea pro certo indicari possit, qua temporum decursu ex alphabeto Ethici recentiores formae Glagoliticae deductae èsse videantur.

IV. Etenim litteras Ethici in libris manuscriptis ex omni parte turbatas esse iam inconditus omnino harum docet o r d o, quem a serie latinorum apicum discedere perspicuum est, etsi omnes libri quos inspeximus illorum ordine procedunt. Quin etiam Hrabanus Maurus, apicum nominibus deceptus, singulis latinas litteras adscripsit. Quod quidem male institutum esse statim apparebit, si formas litterarum paullo accuratius inspexerimus. Primum enim littera tertia, quam c a t h y scriba appellavit, a gamma graeco ne

---

391) cfr. Glagol. Clozian. tab. II.
392) cfr. Psalterium Remense supra laudatum, tabulam I.
393) cfr. Linhart l. c.
394) cfr. Dobrowsky, Institutt. Slavic. pag. 4. (tabul. II.)
395) cfr. Rocca l. c.
396) cfr. Glagol. Cloz. l. c.
397) cfr. Psalterium Remense l. c.
398) vide etiam Grubissichium l. c. pag. 44. post initium.
399) cfr. Plinii Hist. Natur. Lib. VII, cap. LVI, sect. 57.

forma quidem abhorret, neque magis distat a septima illa cui nomen garfohy apposuit; altero autem ductu adhuc Glagolitae utuntur, alterum in alphabetum Cyrillianum irrepsisse videmus. Littera quinta et sexta fortasse tum *H* et *Θ* graeco consentiunt: fomethi certe nullo modo idem est ac *f* latinum, ad quod apex ille proxime accedit qui apud Ethicum iofithy dicitur. Neque magis in ordinem latini alphabeti quadrant efethi, chorizech, inthalech, aut litterae undecim quas addidit codex Vossianus. Deinde azathot, si quidem pro *r* ab Ethico usurpatum est, una cum baraccyn et talmin codicis Vossiani 113. alio loco collocandum erit. Nihil dico de elementis iis qui apud Ethicum plane desiderantur, ut *v* et *o* — ozethy enim non *o*, sed potius *ov* graecum, significare videtur — scilicet quia alios quoque litterarum ductus ex libris nostris excidisse supra demonstravimus. Hoc tamen adiiciendum erit, alphabeti ordinem funditus eversum esse a librario eo, qui primus litterarum nomina aut excogitavit aut saltem plane deformavit; quod eam ob causam indoctum hominem fecisse credimus, quia praeter latinum alphabetum fortasse aliud numquam viderat [400]).

V. Quae quum ita sint, haud multum credo offendet, scribam illum eos potissimum apices eiecisse qui sonos linguae proprios Sclavonicae reddentes in seriem latinorum non quadrabant. Sine dubio autem talia signa alphabeto suo ab inventore addita fuisse testis est interpres Hieronymus. Scribit enim loco supra laudato [401]) Ethicum suos apices, reliquorum ordini insertos, in medium collocasse: hos autem a Sclavonicis diversos non fuisse perspicuum est. Quum enim ex iis quae initio capitis attulimus philosophum nostrum Sarmatis sive Sclavis adnumerandum esse pateat: sequitur litteras eas quas latinis atque graecis ipse

400) Ceterum ne Glagoliticarum quidem litterarum ordinem ubique certum esse affirmat Grubissichius, l. c. pag. 44.

401) pag. 511, v. 5.

addidit ut omnes soni linguae suae scribendo exprimi possent, Sclavonicas seu Glagoliticas fuisse.

VI. Hisce rebus omnibus, etsi forte ad sententiam nostram comprobandam sufficient, tamen novum quoddam nec invalidum argumentum liceat adiicere, quo pluribus munimentis insistamus. Etenim si alphabetum Glagoliticum eadem ratione iisdem elementis constare ostenderimus, qua alphabetum Ethici conglutinatum est, quem putas tunc non eadem esse sed diversa opinaturum?

Sanctus Hieronymus in Cosmographia[402]) scribit: „eius (scil. Ethici) abecedarii in sequenti characteres notavimus, quod nostris[403]) characteribus nullatenus convenit, sed hebraicis, graecis et latinis, chaldaicis, syriis atque aegyptiis“ etc.; et infra[404]): „Ipsum quoque carmen talibus characteribus distinxit [scil. Ethicus], ut nullus hominum legere vel disserere nodos posset; hebraeos characteres resupinatos, graecos incurvatos, latinos duplicatos in similitudinem circi,

402) pag. 502, 4.

403) i. e. latinis; nam latinam linguam (non autem, quod fortasse crederes, Sclavonicam) ab Hieronymo suam vocari satis ostendunt qui hac de re scripserunt viri docti; cfr. Kohlii introduct. in historiam litterariam Slavorum, Altonaviae 1729. 8°. caput II. §. 3. pag. 69. sqq. Audi etiam Niebuhrium de hac re disputantem in: „Vorträge über alte Länder- und Völkerkunde“ etc. Berlin 1851, 8°. pag. 306: „er (scil. Kopitar) läfst sich gar nicht ausreden, dafs nicht die alten Illyrier schon Slaven gewesen seyen. Es ist dies gleichsam ein Glaubensartikel bei den Slaven, eben wie die Neugriechen glauben, ihre Sprache sey die uralte griechische. Wo diese wunderliche Meinung sich festgesetzt hat, könnte auch kein Engel vom Himmel sie ausrotten, es ist diefs ein Eigensinn bei gelehrten Männern, der psychologisch merkwürdig ist. Diese Meinung geht so weit, dafs sie den h. Hieronymus, der ein Illyrier war, durchaus als einen Slaven betrachten und die slavische Bibelübersetzung ihm zuschreiben, darum nennen sie das glagolitische künstliche Alphabet, das von dem cyrillischen, im 9. Jahrhundert erfundenen, abgeleitet ist, ebenfalls slavisch“. cfr. etiam pag. 307.

404) pag. 511, v. 5. sqq.

suosque apices in medium positos, metrico more compositos, sua laude sibimet solus sciebat" etc.

Ethicus igitur tali ratione litteras composuit: quare ut iam omnibus comprobemus, quae de harum litterarum cum alphabetis Sclavonicis affinitate diximus, hoc loco nobis ostendum erit, Cyrillizam quoque et Bukwizam haud aliter fuisse constitutas.

Et profecto rem ita se habere docent ductus apicum, nec non virorum doctorum fere omnium, qui de litteris Sclavonicis scripserunt, testimoniis confirmatur [405]). Quae quo melius perspici possint, singula Sclavonicarum litterarum elementa breviter licebit considerare.

1. Et primum quidem Hebraicam originem sibi vindicat littera quam Terdo Sclavonicae regionis gentes appellant [406]); eandem proferre videtur Cyrillicum illud Boga, quod ortum esse dicit Frischius [407]) ex ea littera quae Beth hebraice appellatur (ב). Idem vir Cyrillicum Ier ad Iod hebraicum (י) reducendum esse adfirmat [408]); et Grubissichius [409]) ipsum Glagol, sed frustra ut videtur [410]), a Thau (ת) repetere nos iubet. Neque vero hanc Sclavonicarum litterarum cum hebraicis affinitatem ignorabat Du-

---

405) cfr. ante omnes Linhart „Versuch einer Gesch. von Krain" etc. Laibach 1791. 8°. tom. II, tabulam 2. — Ios. Dobrowsky, „Glagolitica" pag. 35—38, 44. sqq. — Dobnerum in „Abhandlungen der Böhmischen Gesellschaft" etc. Abtheilung 2. (Prag 1786) des Bandes auf das Jahr 1785. 4°. pag. 129. sq.

406) cfr. Linhart l. c. tabul. II. et adnotationem. — Frischium in: „Origo characteris Sclavonici vulgo dicti Cirulici" etc. Programma Gymnasii Berolinens. 10. Decemb. 1727. 4°. pag. 2.

407) l. c. p. 3. sed aliam sententiam profert Schlözer „НЕСТОРЪ. Russische Annalen in ihrer Slavonischen Grundsprache verglichen, übersetzt und erklärt" (5 Voll. Göttingen 1802—1809. 8°.) volumine II, pag. 329.

408) l. c. pag. 3.

409) l. c. pag. 43.

410) melius enim Graecum esse γάμμα cum Dobrovio (Glagolitica pag. 38.) edicemus.

rich, qui de hac re ita disputat[411]): „Altera porro litterarum Cyrillicarum origo est Hebraica. Deficientibus enim litteris Graecis, ex Hebraicis elementis Sanctus Cyrillus duas litterarum figuras adscivit: eadem licentia, qua Graeci et figuras et nomina Phoeniciarum litterarum arcesserunt. Sunt autem istae: primae columnae dextri lateris[412]) secunda, propter lectionem Europaeorum versa, et inferiore sui parte inflexa; altera in sinistri lateris columna priore sexto loco posita est, ex ש Hebraico elemento erecta. Reliquae figurae sonum Slavonicum exprimentes, ex prioribus compositae sunt".

2. Graecos deinde characteres, si Dobnerum[413]) sequimur, Cyrillicarum litterarum 32 apices ostendunt, ita ut septem tantum e toto numero relinquantur quibus ille originem Sclavonicam vindicavit. In eandem fere sententiam abeunt Scaliger[414]) et Schlözer[415]), nec non, quem laudat Grubissichius[416]), in Tractatu Diplomatico Gallico Cl. Freretius. Etsi vero doctissimi illi viri paullum aberrasse videntur a veritate, tamen permultas certe Sclavonicarum litterarum e Graecis ortas esse quis est qui neget? Apices enim qui huc pertinent sunt fere sequentes:

Az = *A* graecum duplicatum[417]); Vidil = *Y* graec.[418]); Glagol = *Γ* graec.; Selo, vel Semla Cyrillicum, = *Ξ* et *Z* graec.; Ie = *I* coniunct. cum *H* graeco[419]); Mislite

411) „De Slavo-Bohemica sacri codicis versione dissertatio". Pragae 1777. 8°. pag. 11. extr. 12.

412) scil. alphabeti Sclavonici in prima eius dissertationis pagina depicti.

413) Abhandlgg. der Böhmischen Gesellschaft auf das Jahr 1785. Abtheilung II, Prag 1786. 4°. pag. 130.

414) in Epistola ad Paulum Merulam anno 1599. mense Mart. scripta, de qua vide Kohl, introduct. in histor. litterar. Slavorum etc. p. 104. sq.

415) „Nestor" etc. tom. II, pag. 325. et tom. III, pag. 187.

416) l. c. pag. 51.

417) Ios. Dobrowsky, Glagolitica, pag. 38.

418) Ant. Linhart, l. c. tom. II, tabul. 2. adnotat. ad hanc. litteram.

419) cfr. Dobrowsky, Glagolitica pag. 44. cui tamen litterae Sclavonicam originem adcribit Linhart l. c.

vel Mysljete = *M*[420]; Uk = *ου* graec.; Fert = *Φ* graec.[421]; Hir = *χ* graec. si litteram medio secaveris[422]; Ot = *Ω* graec.; Ci vel Rci = *P* conversum[423]; Iad = *I* graec. cui adiunctum est as Glagoliticum; Ishiza = *Y*.

Sunt igitur, ni fallimur, XIII. saltem litterae Sclavorum quae ad Graecam originem videntur esse reducendae, et toto caelo aberravit Dobner[424] quum alphabetum Glagoliticum cum Graeco cohaerere omnino negaret.

3. Latinae autem linguae ductus iam aliae litterae ostendunt. Ortum enim est Pokoj Glagoliticum ex P latino[425]; Wjedi ex U duplicato[426]; Ius ex I et U latino[427]; Nas ex N latino[428]; Slowo ex S latino[429].

His igitur rebus permotus litteras Sclavonicas omnes e Latinis desumptas fuisse, gravioribus se esse probaturum argumentis promisit Alter[430]: quem tamen nondum quae spoponderat solutis, mors fato propera abripuit[431].

4. Quare iam ad Orientis linguas accedamus. Discernuntur enim in apicibus Glagoliticis vestigia non solum Armeniaca, verum etiam Koptica[432] sive Aegyptiaca et,

---

420) Glagolitica pag. 38.

421) Glagolitica pag. 44. Linhart l. c. Dobner l. c. pag. 130.

422) Glagolitica pag. 45; at vide alia de hac littera sentientem Linhart l. c.

423) Glagolitica pag. 46.

424) l. c. pag. 131.

425) cfr. Dobrowsky Glagolitica pag. 37. aut editionis secundae, ab Wenceslav. Hanka editae (Prag. 1845. 8°.), pag. 31.

426) cfr. Glagolitica pag. 37.

427) cfr. Glagolitica pag. 37; sed vide Kopitar. Glagolita Clozianus pag. 49. A. nro. 2.

428) cfr. Glagolitica 44. ubi Linharti sententiam refellit Dobrowsky.

429) cfr. Glagolitica pag. 44.

430) in: Allgem. Anzeig. 1801. nro. 164. pag. 1562. (cfr. Glagolitica pag. 37.)

431) cfr. Schlözer, Nestor etc. tom. III, pag. 167.

432) cfr. Glagolitica pag. 45; Dobrowsky, Institutiones linguae Slavicae, Vindobonae 1822. 8°. pag. 1.

si Grubissichio credimus, Phrygia[433]) atque Gothica[434]). Quin etiam fuerunt, qui Punicea inventa esse dictitarent elementa Glagolitica[435]).

Videtur autem Armeniam respicere littera Ier Cyrillica[436]): Aegyptum Ša et Shzha Glagoliticum[437]); de Phoenicibus denique, et Runicis quas dicunt litteris, quae apud Grubissichium l. c. legi possunt, ea silentio praeterire melius duximus[438]).

5. Restat, ut pauca adiiciamus de iis litteris quas secundum S. Hieronymum de suo Ethicus adiunxit[439]). In alphabetis Sclavonicis noviter inventi apices, ne alphabeti Graeci ordo turbaretur, reiecti sunt ad finem post litteram Ot ut vult Dobrovius[440]): ab Ethico autem, nulla ordinis Graecarum litterarum habita ratione, reliquis inserti sunt[441]). Neque vero in tali re haerendum erit, quum multae excogitari possint causae ex quibus haec ordinis prioris permutatio orta esse videatur.

Iam vero satis multis argumentis comprobasse mihi videor, alphabetum Ethici philosophi pro natura eius atque indole a litteris Glagoliticis quas vocant non diversum esse; quae res magis etiam omnibus adrideret, ni incredibili in-

433) l. c. pag. 51. sq.

434) l. c. pag. 42. sq.

435) Hanke von Hankenstein apud Schlözer, Nestor etc. tom. III, pag. 187.

436) Eandem esse ac Inni Armeniacum affirmat Dobrowsky, Glagolitica pag. 45. Sed vide Linhart l. c. qui ex Sh'eva Hebraico ortam eam esse contendit.

437) cfr. Glagolitica pag. 45. Contra Frischius l. c. pag. 3. Hebraicum esse Schin docet.

438) De Grubissichio cfr. Dobrovii sententiam in Glagoliticis p. 31. sqq. et Linhart l. c. tom. II, pag. 352.

439) De quibus vide Linharti tabulam l. c. et Schlözer, Nestor II, 325. Dobrowsky Glagolitica l. c.

440) cfr. Dobrowsky, Institutiones linguae Slavicae §. VII. pag. 9.

441) „Suosque apices in medium positos“ etc. Hieronymi verba, cfr. Ethicum pag. 511. init.

curia librariorum et ordo apicum et formae ipsae depravati essent. Quare ut paucis sententiam nostram de elementis Ethici hoc loco repetamus, ex iis quae supra exposuimus sequitur: alphabetum eius litterarum Sclavonicarum exemplar et archetypum fuisse, ita ut decursu saeculorum ex antiquissima illa et incondita imagine recentiores Glagolitarum ductus, emendatos simul atque auctos, ortos esse confitendum sit[442]).

Sed ab Ethico philosopho etsi apices Sclavonici inventi sunt tamen, libris eius ut videtur plane deperditis, nonnisi ex S. Hieronymi versione Cosmographiae dignoscuntur; hunc ipsum igitur a gentibus Sclavorum pro vero Glagoliticarum litterarum inventore accipi, quis est qui admiretur? Quae res quantum subsidium sententiae nostrae praebeat, neminem ut credimus effugiet. Nam si certis argumentis comprobari poterit, elementa Glagolitica rumore vetustissimo per Sclavonicas nationes longe lateque diffuso ad auctorem S. Hieronymum reduci: alphabetum Ethici cum Glagolitico ex omni parte consentire certo certius est. Hanc igitur quaestionem paragrapho sequenti instituendam nobis proposuimus.

§. 3.

LITTERAS GLAGOLITICAS AD S. HIERONYMVM AVCTOREM REDVCI APVD SCLAVOS DEMONSTRATVR.

I. Alphabetum Glagoliticum quod a Sancto Hieronymo maiores suos accepisse credunt, Hieronymianum hodie quoque Sclavi vocitant. Cuius rei testimonia multa inveniuntur. Ut enim taceam quae de Hieronymo auctore litterarum proferunt Kohl[443]), Ioh. Leonh. Frisch[444]),

---

442) Eandem fere de litteris Ethici sententiam profert V. Cl. Mauritius Haupt, l. c. pag. 10. med.

443) l. c. pag. 77. et aliis locis.

444) „Origo characteris Sclavonici" etc. 1727. passim.

Assemanni [445]), Grubissichius [446]), Durich [447]), Dobner [448]), haud negligenda est sententia doctissimi viri Iosephi Dobrovii. Dicit enim litteras Glagoliticas antiquissimo rumore ad inventorem Hieronymum reduci [449]), eandemque vanam opinionem usque in Matthaei Caramani tempora et annum 1753. apud eius gentis homines viguisse [450]). Deinde quoque apud F. Angelum Rocca [451]) legimus „habere gentem illam missas, codicem horarium, ceterasque divinas preces Illyrica conscriptas lingua ab omnibus Dalmatis intellecta .... eas autem a Sancto Hieronymo accepisse illius regionis incolas persuasos ita esse, ut potius armis omnes disperire malint, quam eas relinquere". Idem dicit l. c. pag. 319: „Slavonicum autem alphabetum, licet a S. Hieronymo inventum fuisse dictum sit, ut rumor docet, hoc tamen loco" etc. Denique communi Sclavorum opinione alphabetum Glagoliticum pro Hieronymiano haberi testantur qui novissime de hisce rebus sententias ediderunt, Bartholomaeus Kopitar [452]), et Mauritius Haupt [453]).

Qui quidem popularis rumor ex quo fonte natus sit

---

445) Kalendaria Ecclesiae universae .... Romae 1755. VI. Voll. in 4°. ubi vide tom. IV. pag. 408.

446) l. c. pag. 5. etc.

447) l. c. §. V. pag. 5.

448) l. c. pag. 106. init.

449) cfr. Glagolitica pag. 9: „die älteste Meinung hierüber ist wohl diese, dafs nach dem Vorgeben der Glagoliten, d. i. derjenigen Priester in Dalmatien, die aus slavonischen Missalen nach dem römischen Ritus die Messe lesen, der h. Hieronymus der Erfinder der glagolitischen Litteratur sei. Gleich bei der ersten Bekanntwerdung derselben haben sie diefs behauptet oder vorgegeben". — cfr. etiam Institutt. ling. Slavic cap. I. §. V. pag. 5.

450) Glagolitica pag. 10.

451) l. c. tom. II, pag. 246.

452) Glagolit. Clozian. pag. X[a]. sqq.

453) l. c. pag. 8.

investigare quum alii multi[454]), tum conatus est quem saepius iam laudavimus Dobrovius[455]). Sed ille omnibus viribus id unum nobis persuadere studet, alphabetum Glagoliticum initio saeculi XIII. recentius esse[456]); idque a clerico Dalmatiae quodam, quem inventorem sibi finxit, Sancto Hieronymo tributum fuisse sine ulla iusta causa praedicavit. Dicendum potius, fabulam de S. Hieronymo litterarum inventore ex ipsa veritate quasi matre atque fonte procreatam, optimo iure apud Sclavos per tot saeculorum vices conservatam esse. Neque vero aliam sententiam ediderunt B. Kopitar[457]) et cum illo M. Haupt[458]). Quodsi enim „memoratus ab Hrabano presbyter Hieronymus ansam dedit alphabeti S. Hieronymo tribuendi“: quoniam ille litteras ex Cosmographia Ethici desumpserit, nonne idem est, ac si ex manibus ipsis Hieronymi Glagolitae elementa accepissent?

Attamen non video, cur tam obliqua via et quasi per ambages statuamus innotuisse gentibus Sclavonicis qui verus litterarum auctor fuerit. Qua enim lege dicimus et quibus argumentis innitentes, Glagolitas etsi rudes atque barbaros, tamen Hrabani Mauri Moguntini archiepiscopi volumina tractasse: praesertim quum obscurior ille locus de quo agitur ad Kopitarem usque tot viros praeditos doctrina fugerit? Sed etiamsi concedendum esset, famam illam de S. Hieronymo Sclavonicarum litterarum inventore ex laudato loco Hrabani Mauri ortam videri, tamen ne hoc quidem sententiae nostrae obversaretur. Numquam enim Hrabanus „ansam dedisset alphabeti S. Hieronymo tribuendi“, si litterae quas Aethici sub nomine profert natura atque indole a Glagoliticis diversae fuissent.

---

454) Kohl, l. c. praefat. p. 3. pag. 107. pag. 122. not. p. — Frisch apud Dobrowsky, Glagolitic. pag. 11. — Assemanni l. c. IV, 408.

455) Glagolitic. p. 41. p. 86. — Institutt. ling. Slav. cap. I. §. V. pag. 5. et saepius.

456) Institutt. ling. Slav. l. c.

457) Glagol. Clozian. pag. XI^a.

458) l. c. pag. 10. post. med.

II. Hae res utut se habent certum est, vulgata per Sclavorum gentes opinione Hieronymum haberi pro auctore Glagoliticorum apicum. Eiusdem autem famae alia vestigia multa inveniuntur et certissima.

Ludovicum I. enim Hungariae regem anno p. Chr. 1366. Bulgaris qui ab ecclesia Romana defecerant, sacerdotes „secundum translationem S. Hieronymi" dedisse accepimus [459]): tu autem intellige sacerdotes Glagoliticos.

Deinde vero homines extitisse, qui sacri codicis in linguam Sclavonicam versionem S. Hieronymo adiudicarent (eo potissimum argumento permoti, quod ipse in epistolis nonnullis complures Scripturae sacrae libros „linguae suae hominibus" se tradidisse scribit) silentio praetermittimus, quum satis constet Hieronymum ibi de Latinis, non de Sclavis, loqui [460]).

III. Sed haud ita in aperto est, quae nobis de Psalterio Glagolitico dicenda sint, quod anno 1222. Nicolaus clericus Arbensis exaravit, et quod medio saeculo XVII. deperditum esse summopere dolemus. Haec autem sunt quae de Psalterio illo apud Raphaëlem Levacovich invenies, cuius verba integra exscripsit Assemannus [461]): „librum dicit characteribus Glagoliticis in charta membrana transscriptum, atque, ut ibidem dictus clericus Nicolaus praefatus sit, ex alio similiter Psalterii, impensis et mandato Theodori ultimi Salonitani Pontificis, Sclavonica lingua manuscripto codice fideliter descriptum". Addit subinde: „Quis fuerit laudati Psalterii auctor, quisve illud in linguam Sclavonicam transtulerit, ... hoc fateor, me certi aliquid non posse asserere. At verbo lubens admiserim, fuisse Hieronymum nostrum, tum propter com-

459) cfr. Ios. Dobrowsky „Cyrill und Method der Slaven Apostel. Ein historisch-kritischer Versuch". Prag 1823. 8°. pag. 53.

460) cfr. Kohl „Introductio in historiam et rem litterariam Slavorum" etc. Altonaviae 1729. 8°. cfr. pag. 67. sqq. pag. 71. pag. 91. Cui adsentitur Dobrovius, Glagolitica pag. 18.

461) l. c. tom. IV. pag. 443. sq.

munem vulgo, et ecclesiae Illyricae opinionem; tum etiam propter omnimodam eiusdem cum fonte Hebraico, et Latina Hieronymi ex Hebraeo versione concordiam".

Praedictum autem Theodorum Levacovichus et cum eo Caramanus eundem intelligunt, sub quo Salona funditus excisa est, anno 640. sive uno ex duobus antecedentibus[462]; nam post hunc Theodorum reliqui pontifices non Salonitani, sed Spalatenses dici coeperunt, ex quo scilicet Ioannes, Theodori successor, Spalatum sedem transtulit[463]. Quae quam bene quadrent in ea quae comprobare supra nobis proposuimus, nemo est quin videat. Neque tamen Assemanno idem placuit. Is enim, quum sibi persuasisset „ante SS. Cyrilli ac Methodii aetatem sacras litteras in Slavicum sermonem translatas non fuisse"[464], alium Theodorum intelligit, Theodorum scilicet Salonitanum sive Spalatensem praesulem, qui sub Ioanne VIII. Romanorum pontifice ab anno 880. usque ad annum 890. Salonitanam ecclesiam regebat[465]. Equidem harum rerum nihil affirmare ausim: nihil tamen ut videtur obvium est, quominus saeculo VII. et illius Theodori tempore sacrarum litterarum versionem quandam apud Sclavos extitisse concedamus. Minime autem comprobanda sunt, quae de Psalterio audactius quam verius concinnavit Iosephus Dobrowsky[466], quem refutantes inspicias Kopitarem[467] et M. Haupt[468].

IV. Qui quidem liber si forte ad Hieronymum sacrorum codicum interpretem auctorem reducendus est: iam nomen eius in fronte gerit codex, quem conscriptum litteris Glagoliticis, sub nomine Glagolitae Cloziani ante

462) Eius rei documenta affert Assemanni l. c. pag. 444. post. med.

463) cfr. Assemanni l. c.

464) cfr. Assemanni l. c. pag. 447.

465) cfr. Assemanni l. c. pag. 446.

466) cfr. Dobrowsky, Glagolitica pag. 18—22. pag. 28. — eiusdem „Cyrill u. Method" p. 53. extr. — Institutt. ling. Slav. praefat. p. V. sq.

467) Glagolita Clozianus pag. IV[a].

468) l. c. pag. 11. sqq.

hos XVII. annos primus edidit Bartholomaeus Kopitar. Cuius primum folium recentiori manu ita signatum est[469]: „Isti quinterni, hic intus ligati, scripti fuerunt de manu propria S. Iheronimi, ecclesiae Dei doctoris acutissimi. Et sunt bibliae pars in lingua Croatina scripta. Et mihi dono dedit D. Lucas de Reynaldis, presbyter Veglensis dioeceseos, qui habuit a Magnifico Domino Iohanne de Frangepanibus, domino insulae praefatae Veglae, qui librum auro et argento ornatum pro reliquiis venerabatur. Et cum Venetiis mortuus, ac bona sua in praedam data ac distracta fuissent, etiam de hoc libro aurum et argentum amotum fuit, et pars libri praefato D. Lucae in manus venit, de qua michi Marquardo Breysacher militi, et tunc temporis Caesareo oratori, et pacis inter Illustrissimum Dominum Sigismundum Archiducem Austriae ex una, et Illustrissimum Venetiarum Dominum parcium (sic!) ex altera confectori, illos inclusos duos quinternos pro speciali et grato munere dedit. Anno a Nativitate Domini MCCCC“.

Sed in anni signatione latet vitium, quia praedicta Archiduci Sigismundo, Tirolis comiti, pax cum Venetis facta est anno 1487. Quare quum a. 1509. e vita excesserit Marquardus Breisacher[470], intra hosce XXII. annos nota illa referenda est, sive MCCCCC. sive alium annum tu scribere mavis. Conscriptus autem videtur codex Clozianus non post saec. XI.[471] ita ut optime refellat Dobrovium, ex cuius quidem sententia alphabetum Glagoliticum nonnisi saec. XIII. a clerico Dalmatiae quodam per fraudem S. Hieronymo inscriptum fuit. En popularis famae de Hieronymiana sacrorum codicum versione documentum perantiquum; nam librum illum Scripturam sacram, si non integram, sed tamen partem eius, exhibuisse est probabile[472].

---

469) cfr. Glagolit. Clozian. pag. IV^{b}. extr. sqq. (§. IV. praefationis).

470) Glagolit. Clozian. pag. V^{a}.

471) Haupt l. c. pag. 14. post med. et „Evangelia Slavice“ etc. edidd. Silvestre et B. Kopitar, Parisiis 1843. 4°. pag. XI.

472) cfr. Glagolit. Clozian. pag. VII^{b}. Haupt. l. c. pag. 6.

V. Quid ergo? Pro S. Hieronymo auctore Glagoliticarum litterarum pugnare primum vidimus Sclavonicas nationes ipsas, deinde etiam librorum testimonia, quibus ita usi sumus, ut Arbensis Nicolai verbis appareat sacrorum codicum versionem iam septimo fortasse saeculo apud Sclavos extitisse, et ut codicis Cloziani auctoritate ostendatur, interpretationem illam Sclavorum opinione ad alium nullum reducendam esse nisi ad Sanctum Hieronymum. Iam vero alia quaedam testimonia nobis afferenda sunt, quo pluribus argumentis insistamus.

Etenim de S. Hieronymo Sclavonicarum litterarum inventore dubitari vetant epistolae pontificum: Innocentii IV, Clementis VI[473]), Pauli II[474]), Urbani VIII, Clementis XI[475]), Innocentii X, Benedicti XIII[476]), denique Benedicti XIV. Quare haud iniquum aut ab re alienum esse videtur, eos epistolarum locos hic apponere, qui paullo maiorem auctoritatem habent.

1. Innocentius IV. lib. 5. Epistol. 752.[477]) Seniensi[478]) episcopo, ut in Divinis officiis libris Sclavonico charactere exaratis uteretur his verbis permisit: „Porrecta nobis tua petitio continebat, quod in Slavonia est littera specialis, quam illius terrae clerici se habere a B. Hieronymo asserentes, eam observant in Divinis officiis celebrandis. Unde ut illis efficiaris conformis, et terrae consuetudinem, in qua existis episcopus imiteris, celebrandi Divina secundum dictam litteram a Nobis suppliciter licentiam postulasti. Nos igitur

473) cfr. Dobner. l. c. pag. 122.

474) cfr. Rocca l. c. pag. 246. tom. II.

475) cfr. Dobner. l. c. pag. 122.

476) cfr. Dobner. l. c. pag. 122.

477) apud Raynaldum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1248. num. LII.

478) Sic cum Dobrovio (Glagolitic. pag. 16.) legendum pro Scemensi quod epistola illa exhibet. Senia enim, vel Segnia (hodie Zengh) urbs Illyriae ad mare Hadriaticum sita. cfr. Plinium in Histor. Natural. lib. III, cap. 21. sect. 25.

attendentes, quod sermo rei, et non res est sermoni subiecta, licentiam tibi in illis dumtaxat partibus ubi de consuetudine observantur praemissa, dummodo sententia ex ipsius varietate litterae non laedatur, auctoritate praesentium concedimus postulatam. Datum Lugduni IV. Kal. Aprilis anno V." id est Christi 1248.

2. Deinde apud Robertum Salam, Ordinis Cisterciensis, in Vaticana Bibliotheca olim Scriptorem, haec legimus [479]):

„Urbanus VIII. Missale Illyricum, emendatum iuxta Missalis Romani suo iussu paulo ante recogniti emendationem et reformationes, charactere S. Hieronymi vulgo nuncupato ac lingua Slavonica typis edi mandavit: cuius vestigiis inhaerens Innocentius X. successor, Breviarium etiam Slavonicum eodem charactere et ad formam Breviarii Latini in praedictam linguam impressum approbavit anno 1648. ac typis Sacrae Congreg. de Propaganda Fide anno 1688. denuo editum est". etc.

3. Idem quoque Innocentius X. in Brevi quod Breviario Romano-Sclavonico a. 1688. praemissum est [480]), inter alia scribit:

„Quum igitur Illyricarum gentium, quae longe lateque per Europam diffusae sunt atque ab ipsis gloriosis Apostolorum Principibus Petro et Paulo potissimum Christi fidem edoctae fuerunt, libros sacros iam inde a D. Hieronymi temporibus, ut pervetusta ad nos detulit traditio, vel certe a pontificatu fel. rec. Ioannis papae VIII. praedecessoris nostri, uti ex eiusdem data super ea re epistola [481]) constat, ritu quidem Romano sed

479) in Observationibus ad Cardinalis Ioannis Bona Rer. Liturgic. lib. I. cap. 9 „de variis ritibus Ecclesiae Orientalis", §. 4: „Quae gentes lingua Illyrica Missas agant". Tom. I. Augustae Taurinorum, ex Typographia Regia, 1747. pag. 152. (apud Assemannum l. c. tom. IV, pag. 411. med.)

480) cfr. Assemannum l. c. tom. I, pag. 118.

481) Iohannis VIII. epistola ad Methodium archiepisc. Pannoniensis

idiomate Slavonico, et charactere S. Hieronymi vulgo nuncupato conscriptos, opportuna recognitione indigere compertum sit: nos rec. mem. Urbani papae VIII. etiam praedecessoris nostri, qui Missale Illyricum emendatum iuxta nuperrimas illius reformationes charactere Hieronymiano ac lingua Slavonica typis vulgari mandavit, vestigiis inhaerentes, ... venerabili fratri Raphaëli archiepiscopo Achridae, seu Primae Iustinianae, mandavimus ut Breviarium Illyricum, ante annos centum impressum, recognosceret" etc.

4. Denique Benedictus XIV. papa edita constitutione praecepit: „Ut omnes ecclesiastici ritus Slavo-Latini, in Missis et Divinis officiis uterentur solo idiomate Slavo-Litterali cum characteribus Hieronymianis". Quam quidem pontificis constitutionem Romae 18. Kal. Septemb. pontificatus anno 14. editam (p. Christ. anno 1754.) apud Assemannum[482]) transscriptam invenies.

Ex hisce rebus omnibus apparet, tantum apud sedem apostolicam valuisse communem illum Sclavonicarum gentium rumorem de litteris a S. Hieronymo inventis, ut pro vero sine ulla dubitatione eum pontifices acciperent. Neque vero Innocentio IV. illusisse episcopum Seniensem quem laudavimus credibile est[483]).

5. Sed magis etiam pugnant pro S. Hieronymo quae apud Angelum Rocca legimus[484]): „Tertia eiusdem parastaticae columnae (scil. in Vaticano) facies S. Hieronymum Stridonensem ... litterarumque Illyricarum inventorem

Ecclesiae, data 18. Kal. Iul. Indict. XII. ann. 879. (cfr. Epist. Decretales Summorum Pontificum. tom. III. Romae 1591. fol. pag. 429. num. CXCV.) Et eiusdem epistol. ad Sfentopulchrum comitem, data M.-Iun. Indictione XIII. ann. 880. (cfr. Epist. Decretales tom. III, pag. 469—471. num. CCXLVII.)

482) l. c. tom. IV, pag. 418. sq.

483) cfr. Haupt. l. c. pag. 11.

484) F. Angeli Rocca, Camertis, Ordinis S. Augustini, Apostol. Sacrarii Praefecti, ac Episcopi Tagasten, Opera omnia edente Aloysio Conti. Tom. II. Romae 1719. fol. pag. 244. B.

repraesentat. Hinc supra eius caput Illyricum exstat alphabetum ... atque infra legitur haec inscriptio:

S. HIERONYMVS LITTERARVM ILLYRICARVM INVENTOR" [485]).

Idem pergit ita:

„Sanctum Hieronymum [486]) Illyricarum litterarum inventorem fuisse aperte docet Inscriptio: idque fama ipsa nobis persuadet" etc.

VI. Summi igitur pontifices Hieronymo Sclavonicarum litterarum inventori statuam celeberrimo in loco collocarunt; maiori tamen ac divino quasi honore eum coluit Carolus IV. Imperator, qui Pragae in suburbio die 21. Nov. anni 1347. coenobium in memoriam inventarum ab Hieronymo Sclavonicarum litterarum exstruendum curavit. Tale autem de hac re diploma edidisse eum legimus [487]).

„Karolus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus et Boemie Rex. Ad perpetuam rei memoriam .... Dudum siquidem sanctissimus pater dominus noster papa Clemens VI. venerabili Arnesto archiepiscopo Pragensi principi et consiliario nostro karissimo, ad nostri instantiam et requestam committere voluit, ut ipse in nostra civitate Pragensi monasterium conventuale et claustrale ordinis S. Benedicti instituere et auctoritate posset apostolicà ordinare, institutis ibidem abbate et fratribus, qui Domino famulantes divina officia in lingua Slavonica duntaxat ob reverentiam et memoriam gloriosissimi confessoris Beati Ieronymi Strydoniensis, doctoris egregii et translatoris, interpretisque eximii sacre Scripture de Ebraica in Latinam et Slavo-

485) Idem docet Niebuhr, Vorträge über alte Länder- und Völkerkunde etc. pag. 307. init.

486) l. c. pag. 246.

487) Franz Martin Pelzel „Kaiser Karl der Vierte, König in Böhmen". 2 Voll. 8°. Prag. 1780—1781. ubi vide tom. I, Urkundenbuch, nro. LXXXIII. (pag. 91. sq.) — cfr. etiam ibid. textus pag. 186.

nicam linguas, de qua siquidem Slavonica nostri regni Boemie idioma sumpsit exordium primordialiter et processit, debeant futuris temporibus celebrare, ad quod siquidem monasterium construendum .... quam praefatam parochialem ecclesiam in dictum monasterium claustrale et conventuale ad honorem Dei, beatissimeque Marie Virginis, matris eius, ac gloriosorum Ieronymi prefati, Cirullique, Methudii, Adalberti et Procopii, patronorum dicti regni Boemie, martyrum et confessorum, titulum et honorem, prefatum archiepiscopum requirimus et hortamur attente, iuxta commissionem a sede apostolica sibi factam erigi" etc. etc.

Datum Nuremberg, anno Domini 1347. Indictione 15. XI. Kal. Decembris. Regnorum nostrorum anno secundo".

VII. Denique eadem patriae caritate ducti Carniolenses, quum fundarent anno 1495. confessarium Sclavonicum Aquisgrani pro peregrinis Carniolis, eam fundationem appellavere in honorem SS. Hieronymi et Cyrilli et Methodii[488]).

Quae res omnes quas hucusque animo consideravimus, quum Ethici philosophi repertis nuper confirmentur elementis, de S. Hieronymo quum translatore Cosmographiae tum litterarum Glagoliticarum si non inventore, at saltem propagatore diutius dubitare nullo modo possumus[488a]). Restat tamen ut paragrapho sequenti de cognatione pauca adiiciamus, quae inter elementa Glagolitica et Cyrillizam intercedit.

---

488) cfr. „Evangelia Slavice" etc. edidd. I. B. Silvestre et B. Kopitar. Lutetiae Parisiorum 1843. 4°. pag. XIII. med.

488a) His ipsis diebus Lud. Bethmann litteris me certiorem fecit in cod. quodam MSS. Biblioth. Regin. Suecic. sign. 1573. saec. XI. librum extare hac inscriptione: „Inc. ordo solaris anni cum litteris a S. Hieronymo superpositis ad explorandum in eo per septimane dies lunae aetatem cotidie per XVIIII annos". Hoc autem libro contineri scripsit quum alias litteras multas, tum apices Sclavonicos numero 21, quos etiam margini fol. 62'. adscriptos esse affirmat.

§. 4.

ALPHABETVM GLAGOLITICVM ET CYRILLIANVM QVOMODO INTER SE COHAEREANT EXPLICATVR.

Alphabetum Glagoliticum et Cyrillizam ex eodem fonte ortas esse doctissimorum hominum sententiis confirmatur. Magna inde acies inter eos instituta est, quum alii[489]) Cyrillianum, alii[490]) Glagoliticum alterius dicerent archetypum fuisse. Et profecto pro illis multa pugnare videbantur, nam certo certius est, alphabetum Cyrillicum anno 870. indictione III.[491]) a Constantino Philosopho[492]) qui deinde Cyrillus appellatur, inventum esse, sed nihil contra videbatur de Glagoliticis apicibus constare.

Quae quum intellexisset vir sagacissimus Iosephus Dobrowsky Glagoliticarum litterarum auctorem, quem incertum vocat Dalmatam, alphabetum Cyrillicum antiquum nonnisi in compendium redegisse contendebat, retentis quidem litterarum nominibus, sed ductibus pro ingenio suo formatis et a priorum forma valde diversis[493]). Sed ille, quo erat ingenii acumine, et pugnandi ardore simul inflatus, magis indies atque magis infesto animo adversus Glagolitica surrexit[494]).

---

489) ante alios vide Dobrovium, Institutt. ling. Slavic. §. V. pag. 5. — Glagolitica pag. 84. — Slavin pag. 430. sq.

490) Grubissich. l. c. pag. 74. 75. — Dobner l. c. p. 102. cfr. etiam Linhart l. c. tom. II, pag. 353—356. — Kohl, l. c. cap. II. §. 3. pag. 80. not. — Niebuhr, Vorträge über alte Länder- u. Völkerkunde etc. p. 306.

491) cfr. Dobrowsky „Cyrill u. Method." — Kopitar, Glagolita Clozianus praefat. pag. XXXI. not. 2.

492) cfr. Epistol. Ioannis VIII. papae ad Sfentopulchrum comitem anno 880. editam: (Epistol. Decretales etc. III, pag. 470. nro. CCXLVII.) „Litteras denique Sclavonicas a Constantino quondam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debitae resonent, iure laudamus". — cfr. etiam Dobrowsky „Cyrill u. Method" etc. pag. 35. §. 5; §. 7. (p. 39. sqq.) etc.

493) cfr. Dobrowsky, Institutt. ling. Slavic. §. V. pag. 5. — Glagolitica pag. 36. etc.

494) Vide Hauptii de Dobrovio iudicium l. c. pag. 10. 11.

Nos autem de his iam vidimus quomodo se habeant, quare nunc pauca addimus de S. Cyrilli elementis.

Itaque si vera sunt quae supra comprobare nisi sumus, nonne inversa Dobrovii sententia apices Cyrillicos ex Glagoliticis videri natos edicemus, et ita quidem natos, ut de suo litteras nonnullas Cyrillum addidisse praedicandum sit? Hoc autem accidisse ut statuamus, duobus potissimum argumentis adducimur.

1. Etenim si attento animo rationem consideramus, qua elementa litterarum apud singulas nationes condita sunt, primo quidem paucos tantum apices et eos quibus carere nullo modo poterant, inventos fuisse accepimus. Sed ubi deinde indies bonarum artium studio magis sese tradere coeperunt factum est, ut litterarum ductus quos a maioribus acceperant, mox usui quotidiano non sufficerent. Itaque pro necessitate sua formis aut noviter inventis aut aliunde sumptis, eas alphabeto veteri inserebant.

Quam rem ita se habere quum aliis multis, tum ante omnia Graecis litteris probatur.

Legimus [495]) enim litteras in Graeciam primo e Phoenice intulisse Cadmum sedecim numero, quibus Palameden alias quatuor adiecisse dicunt, scilicet: Θ Χ Φ Ξ, totidem post eum Simonidem melicum: Ζ Η Ψ Ω. Aristoteles autem X et VIII. pricas fuisse: Α Β Γ Δ Ε Ζ Ι Κ Λ Μ Ν Ο Π Ρ Σ Τ Υ Φ, et duas ab Epicharmo additas Θ Χ, quam a Palamede mavult.

Idem Romanorum quoque alphabeto accidisse scimus: antiquissimis enim temporibus nonnisi XIX. litteris compositum fuit, scilicet ex: A B C D E F H I K L M N O P Q R S T V. Denique vetustissimos Germanorum apices quos „Runas“ vocant, eodem modo paullatim increvisse quis ignorat? Quin etiam de nonnullis eorum quo tempore inventi videantur constat [496]). Ex quibus quum alphabetum Go-

495) apud Plinium, Hist. Natural. lib. VII. cap. 56. sect. 57.

496) ut de Anglo-Saxonum Runa ea, quae X litterae vim habet, et

thicum constituere vellet Wulfila, eos litterarum ductus quos ibi omissos esse sentiret ex graecis et latinis elementis sumpsit [497]).

Horum igitur similitudo Dobrovium sane impedire poterat, quominus alphabetum Glagoliticum compendium esse Cyrilliani scriberet [498]); cui alia de aetate Glagoliticarum litterarum testimonia si minus etiam suppetissent, tamen statuendam erat apices Cyrillicos ex Glagoliticis desumptos, novis subinde formis auctos fuisse a Constantino monacho quem et Cyrillum dicunt. Nos vero de hac re nihil dubitabimus. Quum enim alphabeta illa tanta necessitudine coniuncta sint, ut alterum nonnisi ortum esse possit ex altero — constat autem Glagolizam 520. fere annos ante Cyrillizam esse conditam — Sanctum Cyrillum ex Glagoliza litteras desumpsisse concedendum erit.

2. Ceterum probabile est, immo potius verisimile, Ethicum ubi populares suos primis condonaret litteris, quod solet fere in humanis rebus fieri, non ita alphabetum absolvisse, ut in eo nihil emendari posse crederet a posteris. Etenim quemadmodum in legum constituendis libris nullo modo vidimus id posse effici, ut futuri casus qui accidere possunt omnes definiantur: sic in condendis quoque litterarum primis rudimentis omnia absolvi nequeunt. Quare si in alphabeto Ethici nonnullos sonos linguae proprios Sclavonicae desideramus, non inde sequitur a Glagolitico diversum esse: illud potius concludendum erit, eo factum esse ut Sclavi novis litteris excogitatis alphabetum Ethici explerent atque emendarent.

Neque vero gentes illae talia non conatae sunt perficere. Nulla enim alia ex causa aut Glagoliza orta est aut longo spatio interiecto Cyrilliza. Sic demum explican-

---

quam nonnisi post Britanniae obsidionem inventam fuisse docet Wilhelm Grimm „Ueber die deutschen Runen" pag. 240. sq.

497) cfr. Kirchhoff „das Gothische Runen-Alphabet" in: Programm des Ioachimsthal'schen Gymnasiums. Berlin 1851. 4°. pag. 36.

498) cfr. Dobrowsky, Institutt. ling. Slavic. §. V. pag. 5.

dum erit si, quod supra adnotavimus, tam varium Glagoliticarum litterarum numerum, tam varias formas extitisse percipimus. Quem autem iam non putas intelligere, qui factum sit, ut Constantinus ille graecos magis ductus sequeretur? Equidem quum Orientales Sclavos sive eos, qui Bulgari atque Servi et Valachi vulgo appellantur, et qui prope Macedoniam sedes colunt, graecissantes magis quam Dalmatas et Illyrici gentes animadvertisset, necessitatibus eorum subvenire cupiens, alphabetum illud sibi finxit [499]) quo adhuc eius terrae incolae utuntur [500]).

Quaestionem nobis eam proposuimus ut, quod iam huius libri capite priori inchoatum est, S. Hieronymum Cosmographiae Ethici interpretem fuisse ostenderemus. Quod quum aliqua ex parte ex nonnullis Cosmographiae locis nobis successisset, magis etiam illud confirmare cupidi, hoc demum capite tentavimus si forte recensitis elementis Ethici ex iis aliud argumentum consecuti esse videremur, quo Hieronymum interpretem fuisse evidenter posset demonstrari.

Quo quidem munere pro virili parte sic functi sumus, ut paragrapho prima philosophum nostrum genere Sclavum fuisse, secunda autem litteras Ethici easdem esse atque Glagoliticas ostenderemus; tertia denique quid de hisce Sclavi sentiant exposuimus. Qui quum uno omnium ore et consensu Hieronymianas credant esse litteras, iam sanctum illum Stridonensem translatorem Ethici fuisse sequitur.

Restat tertium quoddam argumentum, quo idem Hie-

---

499) cfr. Kopitar Glagol. Cloz. pag. X^{b}. et Haupt, l. c. pag. 15.

500) Alia argumenta pro alphabeta Glagolitico pugnantia affert Iac. Grimm in: Göttingische gelehrte Anzeigen, 1836. Stück 33. 34. 35. (p. 323—339.), ubi vide pag. 324. 325. — Kopitar, Psalterium Remense etc. pag. XI, not. 1: „Si ergo quaeras, uter utrum habuerit prae oculis, dicemus Glagolitam ducem fuisse Cyrilliani". — Cfr. etiam eandem fere quam nos sententiam proferentes Kopitarem, Glagol. Cloz. pag. X^{b}. XI^{a}; Hauptium l. c. pag. 10. 15. 16.

ronymus probatur Cosmographiam convertisse; quare sequenti capite de Origine Francorum nobis disserendum erit.

CAPVT III.

DE ORIGINE GENTIS FRANCORVM.

§. 1.

NATIONES OCCIDENTALES AB INCENDIO TROIAE INITIA REPETERE.

Originem et incunabula gentium nobis perscrutantibus, quum eorum temporum certa quaedam et quae litteris mandata sit historia non suppeditet, iam una magistra Fama relinquitur. Licet enim in fabulis de initiis populorum, scilicet quae ore propagatae sunt, singula fere omnia immutata videantur, ita ut a fictis vera vix seiungi possint: tamen originis communis conscientia atque sensus populos pervasit, quem fabulis expressum etiam nunc investigare possumus.

Sunt autem harum narrationum forma et natura eae, ut a magno aliquo et claro casu inchoantes, ab hoc initia gentem deduxisse tradant. Qua in re semper fere accidit, ut nationes quae affinitate quadam coniunctas esse sese intelligerent, ex iisdem sedibus eodem tempore maiores suos processisse crederent. Ut enim flammis e vertice Vesuvii montis erumpentibus, qui antea latebat torrens igneus devolvitur, et in multos rivulos solutus agros sulcat: sic aut magna urbe ab hostibus incendio funditus deleta, aut alio casu conturbatos incolas, qui antea unam civitatem incoluerant, relictis sedibus diversas terrae partes quaesivisse et novis nominibus novas gentes condidisse legimus.

Ut autem secundum orientalium populorum fabulas, quum olim una eademque lingua uterentur homines, et nationem quasi unam omnes facerent, eversis tandem Babyloniis molibus, diversae simul gentes extiterunt et univer-

sus orbis terrae frequentatus est; sic nationes eae quae Occidentis partem et Europam habitant, si nostras fabulas consequimur, ex Troiae urbis igne et cineribus initium ducunt. Quum enim ante Troianum bellum nulla fere populorum distinctio esset, ita ut apud Homerum eadem lingua omnes usos esse inveniamus, qui ne Graecos quidem a Barbarorum gentibus divisit[501]), post eversam Troiam in nationes multas segregatos fuisse eos legimus.

Neque Graeci solum et Latini, aut qui Magni maris ora habitabant populi, ab incendio Troiae initia sua repetebant: haud aliter enim quia eadem stirpe ortas sese intelligerent Germanicae quoque gentes ex illa urbe quondam maiores suos processisse opinabantur.

1. Quae quidem fabulae, ni fallor, apud Graecos ortae sunt, a quibus ad maiores nostros pervenerunt; cuius rei vestigium quoddam apud Euripidem invenimus. Legitur enim in Scholiis ad Andromachen ad versum 222.[502]):

„Ἀναξικράτης γὰρ ἐν τῇ β′ τῶν Ἀργολικῶν οὕτως λέγει· ὁ δὲ Ἀμφινέα καὶ Σκαμάνδριον τὸν Ἕκτορος υἱὸν καὶ παλαίτερον. ἦσαν δὲ αὐτῷ οὗτος μὲν νόθος, ὃς κατελήφθη ἐν Ἰλίῳ, καὶ ἀπόλλυται. οὗτοι δὲ διασώζονται. Σκαμάνδριος δὲ ἀφίκετο εἰν Ταναΐδα“.

Troianos enim, qui ex incendio urbis ad oras Euxini Ponti confugientes ibi novam urbem atque novum regnum constituisse dicebantur, Germanorum maiores fuisse volunt fabulae. Quare nescimus si unus talia Anaxicrates protulerit; equidem alium adhuc neminem investigavimus.

2. Quae tamen utut se habent, hoc certum est, Germanicas nationes ex Troianis ortas sese praedicasse[502a]). Et

---

501) cfr. Thukydid. I, 3.

502) cfr. Euripidis Tragoedias et Fragmenta, rec. etc. Aug. Matthiae, tom. V. Lipsiae 1818. 8°. pag. 556.

502a) cfr. I. Grimm, Gesch. der deutschen Sprache tom. I, pag. 520: „Unter allen Deutschen scheinen Gerüchte von uralter Einwanderung aus Asien nachzuzucken, die sich bald an Alexander, bald an Troja, Priamus und Aeneas zu knüpfen suchten“.

ne forte haec de iis tantum affirmari credas, quae Germaniam ipsam incolunt, iam eam gentem respicias quae, omnium longe remotissima, sedes incolit in Thule insula. In libro enim antiquissimo, cui nomen „Edda“ est, et qui eius gentis fabulas exhibet vetustissimas [503]), pag. 127. legimus haec [504]): „filii Bur postea medio in mundo aedificaverunt arcem „Asgarten“: haec erat Troia [505]), ubi Dii cum familiis suis in posterum habitaturi erant“. Ibidem p. 406. nomen „Giord i Troiu“ invenitur.

Cum his consentiunt quae in alio libro extant in eadem insula conscripto [506]): „ex septentrionali parte et ex montibus qui remoti sunt a terris habitabilibus flumen Tanais procedit ..... ab hoc in Orientem versus in Asia sita est terra illa, quam vocant „Asa-land“ sive „Asenwelt“, cuius terrae principalis arx vocata erat „Asgard“ etc. [507]).

3. Eandem de antiqua gentis sede famam a maioribus suis Saxones acceperant. Sed de huius nationis origine

---

503) cfr. „die Isländische Edda. Das ist die geheime Gotteslehre der ältesten Hyperboräer, der Norder, der Veneten, Gothen, Vandalen etc. Im Jahr 1070—1075 .... zuerst edirt von Sämund Froden, hiernächst im Jahr 1664. von dem Königl. Dänischen Rath Resen aus den ältesten Handschriften in die dänische u. lateinische Sprache übersetzt; und nun in die hochdeutsche Sprache übersetzt von Jacob Schimmelmann“. Stettin 1777. 4°. pag. 127.

504) „Die Söhne des Bur baueten in der Folge mitten in der Welt die Festung Asgarten, das war Troja, wo die Götter und ihre Familien in der Folge wohnen sollten“.

505) Sic codices MSS. teste Schimmelmann. Carolus Simrock in versione libri novissima pag. 247. verba „das war Troja“ omisit.

506) Snorri Sturluson's Weltkreis (Heimskringla) übers. und erläutert von Dr. Ferdinand Wachler. 2 Voll. Leipzig 1835—1836. cfr. tom. I. pag. 13.

507) „Aus Norden von den Gebirgen, welche aufserhalb aller bewohnten Länder liegen, fällt der Flufs durch Svithiód der welcher mit Recht Tanais heifst .... Im Osten vom Tanais in Asia war das Land genannt Asaland, oder Asenwelt; aber die Hauptburg welche in dem Lande war, nannten sie Asgard. Aber in der Burg war Häuptling der, der Odin genannt wird; dort war eine grofse Opferstätte“. etc.

ad nos diversae narrationes pervenerunt. Etenim Widukindus, saeculi X. scriptor [508]) in primo rerum gestarum Saxonicarum libro, capite secundo, haec protulit:

„Nam super hac re varia opinio est, aliis arbitrantibus de Danis Northmannisque originem duxisse Saxones, aliis autem aestimantibus, ut ipse adolescentulus audivi quendam praedicantem, de Graecis, quia ipsi dicerent, Saxones reliquias fuisse Macedonici exercitus, qui secutus Alexandrum immatura morte ipsius per totum orbem sit dispersus“.

Widukindum exscripsit Ekkehardus Uraugiensis, saeculi XII. ineuntis scriptor celeberrimus [509]). Hunibaldus autem fictitius auctor, quem sub Chlodoveo a. 500. vixisse scribit Ioannes Trithemius [510]), Francos dicit missa ad Saxones legatione „eo quod et ipsi ex Troianis descendissent“, sedes ab iis in finibus Saxoniae ad ostia Rheni facili supplicatione impetrasse.

Iam vero Francorum quoque gentem vetusta fama ex Troia urbe exiisse ostendamus.

§. 2.

FABVLAE DE ORIGINE GENTIS FRANCORVM VNDE POTISSIMVM ORTAE VIDEANTVR.

Francorum gentem ex Troianis descendisse iis, qui post eversionem urbis ad ostia fluvii Tanais profecti esse credebantur, a multis medii aevi scriptoribus narratur. Quorum, si Ioannem Trithemium [511]) sequimur, longe primus fuit Wastaldus, ex quo Hunibaldum sua deprompsisse idem dicit. Legimus enim in laudato Hirsaugiensi Chronico pag. 22:

---

508) cfr. Pertz, Monumenta Germaniae Historica, Script. tom. III, pag. 417. sq.

509) cfr. Monumenta Germaniae etc. Script. tom. VI, pag. 176. vers. 20.

510) cfr. Ioh. Trithemii Spanheimensis Annales Hirsaugienses, 2 Voll. S. Galli 1690. fol. ubi vide tom. II, pag. 23.

511) l. c. tom. II, pag. 22. init.

„Nos autem Hunibaldum sequentes, qui tempore Clodovaei Magni, Regis Francorum, anno Domini quingentesimo vivens in humanis, ex Wastaldo et aliis Francorum antiquissimis auctoribus sive historiographis decem et octo libros conscripsit, Francos genere Troianos esse breviter ostendemus“.

Et pag. 23. initio: „Porro quot huius gentis fuerint Reges a primo duce, cum quo exierunt a Troia, primis Hunibaldi sex libris a Wasthaldo conscriptis habetur, de quibus nos hac vice non intromittimus, quia codicem in Spanheim dimissum ad manum non habemus“. Sed haec omnia nihil sunt nisi merae nugae et fictiones, neque ulla fide dignus est Trithemius, qui multa in libro suo enarravit quae credi nullo modo possunt.

At vero de origine gentis eandem fere fabulam exhibent „Francorum Regum Gesta“ [512]), quae ad annum circiter 730. conscripta, in hunc modum exordium faciunt:

„Principium Francorum gentis et originem, vel regum „gesta proferamus. Est itaque in Asia oppidum Troianorum, „ubi est civitas quae Ilium dicitur, ubi regnavit rex Aeneas. „Gens illa fortis et valida, viri bellatores atque rebelles ni„mis, inquieta certamina obiurgantes, per gyrum finitima „debellantes. Surrexerunt autem reges Graecorum adversus „Aeneam regem Troianorum cum multo exercitu: pugna„veruntque contra eum caede magna. Corruitque ibi exer„citus maximus Troianorum. Fugit autem Aeneas rex, et „reclusit se in civitate Ilium. Pugnaverunt enim adversus „hanc civitatem annis decem. Tunc ipsa civitate subacta, „fugit Aeneas rex cum ceteris viris suis in Italiam, locare „gentes illas, ut ei auxilium ferrent. Alii autem de prin„cipibus eius, Priamus et Antenor, cum aliis viris de exer„citu Troianorum duodecim millia fugerunt cum navibus. „Qui introëuntes ripas Tanais fluminis per Moeotidas palu-

---

512) apud M. Bouquet, Recueil des historiens des Gaules et de la France. tom. II. Paris. 1739. fol. pag. 542.

„des navigaverunt, et pervenerunt ad finitimos terminos „Pannoniarum, tenentes finitima spacia secus Moeotidas pa- „ludes. Coeperuntque aedificare civitatem ob memoriale „eorum, appellaveruntque eam Sicambriam. Ibique habi- „taverunt annis multis, creveruntque in gentem magnam“.

„In illo tempore Valentinianus Imperator imperium Ro- „manorum regebat. Eo tempore gens Alanorum atrocis- „sima rebellaverunt contra praedictum Imperatorem. Ille „itaque commoto exercitu magno Romanorum direxit aciem „contra eos, superavitque eos et adtrivit atque debellavit. „Illi autem caesi super fluvio Danubio fugerunt, et intra- „verunt in Moeotidas paludes. Tunc ait Imperator: „„Si „„quis potuerit introire in paludes istas, et inde eiicere „„potuerit gentem hanc rebellem Alanorum, concedam ei „„tributa annos decem““. Tunc congregati Franci, qui „fuerant de Troia eiecti, fecerunt insidias ex adverso, sicut „erant edocti, per incognita latibula: et ingressi in Moeo- „tidas paludes cum reliquo exercitu Romanorum, eiecerunt „inde Alanos, percusseruntque eos in ore gladii. Tunc „appellavit eos Valentinianus Imperator Francos Attica „lingua, quod in Latinum interpretatur sermonem, hoc est „feros, a duritia vel ferocitate cordis“.

„Igitur post transactos decem annos misit Imperator „exactores, una cum primario duce de Romano Senatu, ut „reciperent praetermissa tributa de populo Francorum. Illi „quoque, ut erant immanissimi, consilium perfidum atque „inutile accipientes, dixerunt intra se: „„Imperator cum „„exercitu Romanorum non potuit eiicere Alanos de lati- „„bulo paludarum, gentem rebellem. Nos autem, qui eos- „„dem devicimus, cur solvimus tributa? Consurgamus au- „„tem contra Primarium hunc, vel exactores istos, et irrua- „„mus super eos, et non demus Romanis tributa: ne forte „„si subiiciant nos, erimus numquam liberi““. Tunc insi- „diantes interfecerunt eos“.

„Haec audiens Imperator, in ira magna commotus, „praecepit commovere exercitum in hostem Romanorum,

„aliarumque multarum gentium auxilia adiungens, una cum „Aristarco principe militiae, direxerunt aciem contra Fran„cos. Fuitque ibi strages magna de utroque populo. Vi„dentes autem Franci tantum exercitum sustinere non posse, „caesi valde fugerunt. Ceciditque ibi Priamus dux eorum. „Illi quoque egressi a Sicambria venerunt in extremis par„tibus Rheni fluminis in Germaniarum oppidis, illicque in„habitaverunt cum principibus eorum Marchomiro filio Pri„ami, et Sunnone filio Antenoris; habitaveruntque ibi annis „multis". etc.

Haec de eius gentis origine Gesta Regum Francorum, ex quibus eadem hausta protulerunt scriptores multi. Eandem enim fabulam iisdem fere verbis expressam invenimus in Genealogia Francorum Regum [513]), apud Paulum Diaconum [514]), in Chronicis Regum Francorum breviter digestis [515]), in Roriconis monachi Moissiacensis libro de gestis Francorum [516]), apud Aimoinum Floriacensem monachum [517]), apud Wiponem [518]), Siegebertum Gemblacensem [519]), in Magni Ellenhardi Chronico [520]), apud Nicolaum Vignerum [521]), Her-

513) cfr. Pertz, Monumenta Germaniae etc. Script. tom. II, p. 310. et Duchesne tom. I, pag. 794.

514) in libro de Episcopis Metensibus apud Freherum in corpore historic. Franciae veteris et sincerae .... Hanoviae 1613. fol. pag. 175. lin. 41. 42. et in Historia Romana, lib. XVII. cfr. Pertz, Archiv. etc. IX, 684.

515) apud Duchesne tom. I, pag. 797.

516) cfr. Duchesne tom. I, pag. 799. et Bouquet tom. III.

517) in libro eius „De gestis Francorum libri IV", ubi vide lib. I. prooemium et cap. 1—3. Extat autem apud Freherum l. c. p. 254. 255.

518) in „Vita Chuonradi Imperatoris", cfr. Pertz, Monumenta etc. SS. tom. XI, pag. 258, vers. 18: „quorum parentes, ut fertur, de antiquo genere Troianorum regum venerant".

519) cfr. Pertz, Monumenta etc. Scriptor. tom. VI, pag. 300.

520) Magni Ellenhardi Chronicon, quo res gestae Rudolphi Habsburgici et Alberti Austriaci Regum Romanorum etc. illustrantur .... edid. Franc. Mart. Pelzel, Pragae 1777, 8°. pag. 5.

521) In „tractatu de Origine veterum Francorum" apud Duchesne I, pag. 128. sqq.

mannum comitem Nuenarium [522]), Godefridum Viterbiensem [523]), Vincentium Bellovacensem [524]), et alios multos quos enumerare longum est.

Ipsa autem Francorum Regum Gesta circa annum 730. exscripta sunt ex Gregorii Turonensis historia epitomata, cui auctor vulgo assignatur Fredegarius scholasticus [525]) saeculi septimi auctor. Qui quidem in fragmentis quae ex aliis eius excerptis historiarum supersunt, inter „Excerpta ex Eusebii chronico, Hieronymo interprete" [526]) eandem fabulam de Francis protulit, in Eusebii chronico hodie non extantem. Idem auctor anonymus pag. 394. cap. II. init. haec scribit: „De Francorum vero Regibus beatus Hieronymus qui iam olim fuerant, scripsit". Talia autem in S. Hieronymi operibus omnino desiderantur, locus enim ille quem laudat Bouquet [527]) in haec Fredegarii verba quadrat minime. Quid igitur? quae in reliquis libris frustra adhuc quaerebantur, ea hodie legimus in Cosmographia Ethici quam S. Hieronymus interpretatus est, pag. 532—534.

Scribit enim Ethicus: „Numitor igitur, regno male „usurpato, hostem et vastationem Tusciae saevissimam in„tulit; Pyrrhaeos montes Cisalpinaque iuga peraccessit, No„ricos obtinuit, Histriam crudeliter oppressit; Histrum trans„iens cum Albanis altercavit, sed superare non potuit; cum „magnis spoliis remeavit. Nec multo post obiurgaverunt „mutuo nepotes cum avo: consurrexitque Romulus super „avum, Numitorem interfecit, et regnum sagaciter et ar-

522) „Brevis narratio de origine et sedibus Francorum" apud Duchesne I, pag. 172. sqq.

523) in „Pantheon" apud Struve, Germanic. Scriptorum etc. tom. II. Ratisbon. 1726. fol. pag. 295. 380B. 381A.

524) in „Speculo Historiali". cfr. Speculum maius edid. Ioh. Mentelin, Argentin. 1473. fol.

525) cfr. Bouquet II, 394.

526) Bouquet II, 461.

527) Hieronymum in vita S. Hilarionis.

„roganter usurpavit; Euandriae urbis muros et moenia „ampliavit, ipsam nempe urbem a suo vocabulo Romam „nuncupavit; ipse vero post avum fratricida extitit, Re„mumque fratrem suum necavit, spurcitiae omni deditus „et luxuria freneticus, pellexator nefarius. Commoto exercitu „Romanorum, avi crudelitate arreptus Lacedaemones cru„deliter debellavit, Pannoniam vastavit, Simoën transiit, „post primam eversionem Troiae secundus cruentator per„accessit, cum Franco et Vasso qui ex regia prosa„pia remanserant certando dimicavit, ipsisque superatis, „Ilio denuo capto, remeavit ad Urbem".

„Francus enim et Vassus foedus apud Albanos impe„traverant; mutuo moventes exercitum contra Romulum „montana Histriae transeuntes fixerunt tentoria, contra quos „Romulus castra opponit; cum Franco et Vasso denuo bel„laturus properavit in montem sacrum arasque Iovis famo„sissimas. Praeparantur ad aciem perduellis hostis hostes „invicem dimicantes. Romulus post cruentissimam stragem, „sicut maximum moverat exercitum, victor extitit debella„turosque superavit. Francus et Vassus caesum cernentes „exercitum, cum paucis qui remanserant per fugam lapsi „evaserunt; Albani prostrati atque devicti qui evadere po„terant a caede maxima reversi sunt ad propria".

„Francus, ut diximus, et Vassus videntes se superatos, „terram autem afflictam et vastatam in solitudinemque re„dactam, relinquentes propria cum paucis sodalibus sed vi„ris expeditis, pulsi a sede, statim Rhaetiam penetrantes „ad invia et deserta Germaniae pervenerunt, laevaque Maeo„tidas paludes dimittentes, more praedonum piratico et stro„phoso atque latronum degentes, urbem construunt: Sicam„briam barbarica sua lingua nuncupant, id est gla„dium et arcum, more praedonum externorumque positam".

„Romulus dein, humanum sitiens sanguinem, hostium „plurimorum congestum Histriam ingressus cruore tanto „fuso, ita ut undas Histri humanus cruor praeoccupasset, „victoria patrata mox Albaniam peraccessit. Quanta cer-

„tamina et strages universaque mala perpetrata fuerunt, „longum est inseri; Romulus, amissa inter caedem maxima „parte exercitus sui, tamen cum multis spoliis vel captivis „reversus est“.

„Post haec Valeriam debellavit, urbes maritimas us„que Italiae fines cepit, ac tenus Mantuam urbem accedens, „quia Manto Tiresiae filia, post interitum Thebanorum in „Italiam comitata, in Venetia quae Gallia Cisalpina dici„tur, hanc urbem in collectionem incolatus sui aedificavit; „quam praefatus Romulus vi roboris sui certando capessit „et ventilando diruit. Iterumque Gallias edomuit in sua„que ditione tributarias fecit, omnique malitia consummata „regna ac terras sanguine humano infectas in tantum, ut „post haec captivati plurimorum parvulorum ac mulierum „multarum quoque regionum ignorarent et terras et linguas, „et numquam remeantes propria vel propinquos amiserunt. „Ipse quoque Romulus post tot facinora et vim et animam „iniquissime et indigne fudit, vel ob missa mundi plurima „bella vel clade pestifera“.

En novum argumentum quo Cosmographiam a S. Hieronymo translatam fuisse comprobabimus. Quae quum ita sint, equidem putamus pro verbis illis: „Excerpta ex Eusebii Chronico, Hieronymo interprete“ apud Fredegarium scribendum esse „Excerpta ex Ethici Cosmographia Hieronymo interprete“, praesertim quum (quod iam supra saepius exposuimus[528]), nonnulli Iulii Oratoris Cosmographiae manuscripti codices titulum libello hunc inscribant: „Incipit Chronica Iulii Caesaris“. Quare ad S. Hieronymum, vel potius ad Ethicum philosophum, omnes illae de origine Francorum fabulae auctorem reducendae sunt, neque ullo modo hisce obversantur quae ad locum Fredegarii pag. 461. Bouquet adnotavit, qui exscripta esse verba putat ex Daretis Phrygii historia de origine Francorum. Nam supra diximus, omnes huius generis fabulas

528) pag. 28, 31, 32, 33.

a Graecis excogitatas, deinde ad maiores nostros pervenisse. Sive autem Daretem Phrygium quem dicunt, sive alium tu auctorem quondam extitisse mavis, quum de hisce rebus certi nihil indagari possit, non obsisto [529]).

§. 3.

QVID IN FABVLA DE BELLO FRANCORVM CVM ROMANIS LATEAT APVD ETHICVM.

Narrationem Ethici de bellis inter Romulum et Francos ortis paullo accuratius inspicientibus nobis statim apparet, vera ibi falsis esse mixta atque perturbata. Nam quae de Numitore Remoque atque Romulo initio fabulae narrantur, ea magnam partem cum iis consentiunt quae apud Livium ceterosque historiarum scriptores inveniuntur. Quae autem pag. 533. de secunda eversione Troiae subiiciuntur, et cetera, haec omnia pro nugis atque fabulis habenda sunt. Neque tamen ita ficta esse videntur, ut nihil veri in iis lateat; hoc tantum dicendum erit, talem in modum et saeculorum et gestarum rerum ordinem ab Ethico neglectum esse, ut quid auctor ille significare voluerit haud facile intelligatur.

Quare ut brevibus rem sane difficillimam absolvam, Ethicum nostrum de bellis loqui affirmaverim, quibus exeunte saeculo tertio imperium Romanum vexabatur. Accepimus enim non solum Valerianum Imperatorem (253—260.), verum etiam Claudium illum Gothicum (268—270.) nec non Aurelianum (270—275.) atque Probum (276—282.) saepissime adversus Gothos, Alamannos, Francos, Batavosque aliasque gentes aciem instruxisse; et „Francorum Regum Gesta" quae supra iam laudavimus non Romulum, ut Ethicus, sed Valentinianum I. Imperatorem (364—375.) cum Francis et Alanis dimicasse scribunt.

529) Ceterum vide, quae de origine harum fabularum disputat Leibnizius in „Annalibus Imperii Occidentis", edid. G. H. Pertz, tom. I. Hannoverae 1843. 8°. cap. VIII, pag. 11. extr. et pag. 12. init.

Itaque, quod fere solet fieri, Romulus pro Romanis aut pro Imperatoribus Romanis hoc loco stare nobis videtur. Si autem de bellis istis Ethicum loquutum esse dicimus, quibus intra annos 260 et 280 Italia et Germania vastabantur, fortasse ad idem fere tempus reducenda sunt, quae pag. 534, v. 19. sqq. idem auctor attulit. Scribit enim: „Quid soboles ignaviae meae meruerit non praetermittam, quum eo tempore captivati ab Histria in Cassiopas insulas pervenerint post multa annorum curricula, et vix vastam et inviam scenam ac pulverum ustionem cum magno moerore et taedio repetierint. Et usque in diem nativitatis meae, quae dudum culta fuerant in solitudinem redacta sunt".

Cum his magna ex parte consentiunt quae Probo imperante facta esse legimus in Eumenii panegyrico, quem is Britannia insula recepta Constantino Caesari dicavit[530]).

Postquam enim anno 277. Galliam et Germaniam debellavit, quo magis Imperii fines orientales ab Alanorum incursionibus securi essent, Probus captivis Francis in Ponto sedes assignaverat[531]); qui tamen quamvis pauci numero „incredibili audacia et felicitate a Ponto usque, correptis navibus, Graeciam Asiamque populati, nec impune plerisque Libyae litoribus appulsi, ipsas postremo navalibus quondam victoriis nobiles ceperunt Syracusas, et immenso itinere pervecti Oceanum qua terras irrupit intraverunt, atque ita eventu temeritatis ostenderunt, nihil esse clausum piraticae desperationi quo navigiis pateret accessus" [532]).

Horum igitur fortasse Ethicus in Cosmographia laudato loco mentionem attulit, quamquam singula omnia ab

530) cfr. Panegyrici Veteres recensuit .... Wolfg. Iaegerus, 2 Voll. Norimbergae 1779. 8°. ubi vide tom. I. nro. IV. cap. 18. pag. 301.

531) cfr. Flav. Vopiscum in Probo, cap. 18. (Historiae Augustae Scriptores sex. Lipsiae 1774. 8°. pag. 426.) et Gibbon, l. c. cap. XII. (tom. I. pag. 339. sq.)

532) cfr. etiam Zosimi historiarum lib. I. cap. 71. (ed. Reitemeier. Lipsiae 1784. 8°. pag. 92. sq.)

auctore nostro, vel potius a librariis, ita perturbata sunt ut vix quidquam pro certo affirmari possit. Scribit enim, captivos illos ab Histria pervenisse in Cassiopas insulas. De his autem, prope Corcyram sitis, videndum Antonini Augusti Itinerarium Maritimum [533]), Orosii historiarum lib. I, cap. 2. [534]), Isidori Etymologiarum lib. XIV. cap. 4. §. 14. [535])

Quare si de iis cogitare Ethicum concedimus, quae sub Probo Imperatore a captivis Francis gesta sunt: quum illi quidem postremo in Britanniam et Batavorum insulas pervenerint [536]), pro insulis Cassiopis fortasse Cassiterides scribendae erunt, quas hodie „Scilly Islands" vocant incolae. Per errorem enim in manuscriptis libris et sine ullo sensu scribi „insulas Cassiopas" iam ea ex re apparet, quod si quis nave ex Histria egressus illas petit, profecto non multorum annorum illuc navigatio est, sed pauci tantum dies in itinere consumendi sunt. De alia autem captivorum navali expeditione nulla audivimus: cui accedit, quod eodem fere tempore et ab Asia in Britanniam Franci pervenerunt, et ad insulas Cassiopas relicta Histria captivi illi, quorum auctor noster meminit. Hoc enim paullo ante natum Ethicum fuisse factum apertis atque claris verbis ipse dicit; nam scribit „et usque in diem nativitatis meae, quae dudum culta fuerant, in solitudinem redacta sunt".

Iam supra demonstravimus Cosmographiam Ethici intra annos 396. et 409. a Sancto Hieronymo translatam esse, neque vero eodem tempore ab Ethico conscripta est. Quod enim iam aliis ex causis veri simile est: ex ipsis translatoris verbis apparet, Cosmographiam complures annos ante illud tempus ab auctore compositam fuisse. Legimus scilicet pag. 500, v. 12: „quam ut a praecedentibus lectoribus errorem enigmatum illorum" etc. quare iam

533) ed. Parthey et Pinder pag. 255.
534) ed. Havercamp. pag. 24.
535) ed. Arevali, tom. IV. pag. 160.
536) cfr. Gibbon, l. c. cap. XII. (tom. I. pag. 340.)

ante annum 396. liber Ethici et notus erat, et lectores sibi comparaverat. Itaque, ni fallor, colligendum erit, Ethicum non post initium quarti saeculi fuisse natum; tum vero cum his bene consentiunt, quae nostro loco dicit: Histriam cruentissimis illis annorum 260—280 bellis devastatam, usque ad diem nativitatis suae incultam remansisse. Quare haud multum aberrare credimus a veritate, si circa annum huius aerae trecentesimum natum fuisse Ethicum contendimus.

Sed de Ethico et vita eius alio tempore disputabimus. Restat enim ut quantum fieri potest exponamus, quid de auctore ipso et de libris eius nobis statuendum sit. De his autem atque aliis multis quae huc pertinent iudicium certum edere tum demum valebimus, quum libris aliquot melioribus inspectis saniorem Cosmographiae textum constituerimus.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 32, v. 21. pro pag. 20. legendum: pag. 24.
„ 64, „ 29. delenda est vox equidem.
„ 65, „ 22. addendum: Cfr. Itiner. Anton. ed. Parthey et Pinder pag. XXVII. sq.
„ 75, „ 5. pro Flodardo legendum: Flodoardo.
„ 156, „ 5. addendum: Cfr. Eusebii Chronic. sub anno 266 (ed. Roncallius I, p. 479.): „Quadi et Sarmatae Pannonias occuparunt“.

Typis A. W. Schade.

		...ctus.		Apicum Sclavonicorum formae convenientes.		
Nº		...ossian/ 113. S. XII.		Alph. Glagolitici	Alph. Cyrilliani	
1.		...nos	alacris		А	a
2.		...ach	sublimis		Б Б	b
3.		...i	fortis		Г	g
4.		...thy	fidilis		Д Λ	d
5.		...hy	magnus		Н	i
6.		...thy	gloriosus		Ѧ (?)	e
7.		...hy	mōmty.			g
8.		...ymy	fanaticus			ch
9.		...hy	abilis			f
10.		...hy	gratiosus			k
11.		...y	miles		Λ	l
12.		...athi	durus			m
13.		...i	malignus	?		
14.		...leth	confudit			n
15.		...hy	magnificavit		ω	o
16.		...ixech	concescit	?		
17.		...hyrin	laboravit			p
18.		...thy	investigavit			s
19.		...alech	concessit			i
20.		...hmos	dicavit		Т Т	t
21.						
22.						
23.						
24.						
25.						
26.						
27.						z
28.						
29.						
30.						
31.						
32.		...thot	suplicavit		Р	r
33.						
34.		...ony	sancivit			u
35.		...ichyn	sanctificavit			x
36.		...accyn	consignavit			
37.		...in	confirmavit			

Karolus Fortz ...

